


Henrik

June 183



HEMIPTERA SVECIÆ.

DESCRIPTA

A

CAROLO FR. FALLÉN,

Hist. Natur. Prof. Reg. & Ordin. in Academia Lundensi.

SECTIO PRIOR.

HEMELYTRATA.

LONDINI GOTHORUM,

EX OFFICINA BERLINGIANA,

MDCCCXXIX.

HEMIPTERA SVECIÆ.

CIMICIDES
EORUMQUE FAMILIÆ
AFFINES.

AUCTORE

CAROL. FRED. FALLÉN,

Hist. Natur. Prof. Reg. & Ordin. Reg. Acad. Scient. Holm. Reg. Societ. Scient. et El. Litt. Gothob. Societ. Imperial. Natur. Curios. Moscovit, ut et Societ. Nat. Scrutat. Berol. Membro.

LONDINI GOTHORUM

Ex Officina Berlingiana,

MDCCCXXIX.

Insecta HEMIPTERA LINN., *hemelytris oreque versus pectus inflexo instructa*, in duos ORDINES divisit Cl. OLIVIER, disimilitudinem instrumentorum oris, diversamque vivendi rationem exinde ortam, jure meritoque respiciens. Sic Insecta hemelytrata maxillis prædita ad Ordinem ORTHOPTERORUM, et Insecta hemelytrata rostro suctorio instructa ad Ordinem HEMIPTERORUM adnumerantur. Ex his novem Genera LINN. HEMIPTERA constituunt, quæ autem a Clariss. LATREILLE in duas Sectiones ita dividuntur:

1 HETEROPTERA, in duas *Familias* abeunt:

α *Geocorisæ* (Genus *Cimex* LINN.)

β *Hydrocorisæ* (Gen. *Nepa* & *Notonecta* LINN.)

2 HOMOPTERA, tres Familias sub se comprehendunt:

α *Cicadariæ* (Gen. *Fulgora* & *Cicada* LINN.)

β *Hymenelytra* (Gen. *Chermes, Thrips* & *Aphis* LINN.)

γ *Gallinsecta* (Genus *Coccus* LINN.)

Hæc autem Genera LINNÉANA, multiplicatis detectis novisque speciebus auctis, dissimili quadam corporis structura, simulque varia vivendi ratione diversis, in plurima Genera abierunt. Confer. *Familles Naturelles du Regne Animal* par M. LATREILLE Paris 1825. *Le Regne Animal distribué d'aprés son organisation* par M. le Chev. CUVIER Tom III. Paris 1817.

Nos quoque, in Systemate HEMIPTERORUM Sveciæ elaborando, citissimam Specierum investigationem quærentes, eandem fere et similem secuti sumus distributionis viam, in Specimine *Novam Hemiptera disponendi methodum* exhibente. Lundæ A. 1814. Sic quoque in Generibus definiendis, methodum a Cl. LATREILLE (v. *Genera Crustaceorum & Insectorum*, Paris 1807) acceptam, etsi ex omni parte a nobis non adhibitam, aptiorem esse credimus; characteres autem genericos a Cel. FABRICIO propositos, ab instrumentis cibariis extricandos, maximam adferre et molestiam et incertum, nobis est persvasissimum. Etenim constat, quo facilior est et adcuratior Generum constructio, eo citiorem specierum esse investigationem. Notas igitur non ab unica tantum corporis parte, sed a pluribus simul consideratis esse desumendas, recentissimi Auctores jure meritoque contendunt.

Hanc quoque characteres eligendi viam secuti sumus. Etenim nullam corporis partem perlustrandam omisimus, ita ut, facta adcurata notarum comparatione, ad regulas artis, aptum characterem componere et facilem, in potestate fuerit, nec genera nova, nisi pauciora, in Ordine Insectorum, iterum et sæpius castigato, veteribus addere coacti fuimus. Etenim Genera et nimis multa et nimis pauca fugienda sunt. *Illa* oriantur necesse est, ubi in Familia Specierum ditissima, characteres ab unica tantum corporis parte quærerentur. *Hæc* tunc exsistere possunt, ubi in magna Specierum copia ejusmodi eligitur character, qui efficit, ut hæ species multiplici modo iterum iterumque in sectiones dividi possint, unde oriatur confusio necesse est. Ceterum ad firmanda et constituenda Genera, metamorphosin victumque Insectorum consulere maximi interest.

HEMIPTERA.

Os rostro vaginato inflexo, setas includente absque maxillis palpisque.

Alæ duæ hemelytris sæpe tectæ.

Rostrum pro capitis structura diversa vel in fronte vel sub capite et prope ad pectus insidet, semper inflexum; vel rectum, vel arcuatum, labiatum, vaginatum: *vagina* 3-5-articulata, *setas* tres sæpissime includente, quarum ope suctus nutrimentorum peragitur. *Seta media* validior. *Oculi* laterales parvi, sæpius rotundati. *Stemmata* duo, tria, nulla. *Antennæ* sæpe tenues parumque articulatæ. *Thorax* et *pectus* vel connexa, vel *thoracis dorsum* e segmentis duobus constans. *Abdomen* thoraci late adhærens, segmentis annulatum: exitu pro genitura et excretis diverso. *Pedes* sex, antici pectori, posteriores sterno adfixi: articulis coxæ 2-3, tarsorum 3-2-1. *Oviductus* plerumque lamellis vaginatus. *Alæ* varie nervosæ, hemelytris, alas interdum mentientibus, tectæ, unde quatuor exstant alæ, rarius duæ aut nullæ.

Metamorphosis annua, semicompleta.

Larva 6-poda, matri minus magisve similis.

Pupa matri similior, at aptera interdum generans.

Imago ovipara, sæpius volitans.

Differentia Sexus a structura ani externa dissimili facile detegitur.

Victus e succo Vegetabilium frequentior, e liquore Animalium rarior.

Dispositio Familiarum Hemipterorum synoptica.

SECTIO PRIOR. *Hemelytrata.*

Alæ decussatim impositæ, hemelytris tectæ.

DIVISIO 1. *Frontirostres.* HETEROPTERA LATR.

Fam. 1. CIMICIDES *Membrana elytrorum* decussatim incumbens. *Tarsi* 3-articulati.

Fam. 2. HYDROCORIDES Membrana elytrorum nervosa. *Tarsi* 1-2 articulati.

Fam. 3. NAUCORIDES Membrana elytrorum enervis. *Tarsi* 1-2-articulati.

DIVISIO 2. *Collirostres.* HOMOPTERA LATR.

Fam. 4. CICADARIÆ *Hemelytra* subcoriacea, per suturam rectam conniventia. *Thorax* limbo collari antico destitutus.

Fam. 5. FULGORIDES *Hemelytra* per suturam rectam conniventia. *Caput* carinatum vel in cornu productum.

Fam. 6. TETTIGONIDES *Hemelytra* membranacea per suturam rectam conniventia. *Caput* fronte gibbosa, transversim striata. *Thorax* limbo collari, aut nullo auctus.

SECTIO POSTERIOR *Hymenelytrata.*

Alæ non decussatim impositæ, hemelytris vix ullis tectæ.

Fam. 7. CHERMIDES *Rostrum* pectorale. *Alæ* deflexæ: nervo costali simplici.

Fam 8. APHIDIÆ *Rostrum* frontale. *Alæ* 4 erectæ: nervo costali duplici.

Fam. 9. COCCIDES *Rostrum* pectorale. *Alæ* 2 abdomine longiores; in feminis nullæ.

Fam. 10. THRIPSIDES *Rostrum* absconditum, obsoletum. *Alæ* 4 horizontaliter incumbentes, abdomine angustiores & breviores.

CIMICIDES.

Caput rostro fronti inserto.
Antennæ elongatæ, 5-4-articulatæ.
Hemelytra subcoriacea: apice membranaceo, decussatim imposito.
Tarsi 3-articulati.

Caput parvum: *rostro suctorio* versus pectus inflexo, vel recto vel arcuato, fronti inserto. *Rostrum* instrumenta cibaria continens, vagina tri - vel quadri-articulata, tres includit setas, ope quarum haustio succorum peragitur. *Oculi* parvi, laterales, globosi, magis minusve exserti. *Antennæ* 5-sæpius 4-articulatæ. *Ocelli* 2, rarius nulli. *Thorax* vel scutiformis transversim plerumque latior; vel sublobatus & coarctatus, & tunc aut rostrum breve & arcuatum, aut antennæ elongatæ & fractæ. Magnitudo *scutelli* pro diverso Genere varia. *Segmenta abdominis* septem, præter anale; an semper? *Hemelytra* horizontalia, subcoriacea, magis minusve pellucida, sæpe obsoletissime nervosa, in duas dividi possunt partes, quarum interior minuta; exterior autem major, versus apicem latior: terminatur *membrana* dilatata, in individuis apteris aut nondum rite explicatis incompleta s. nulla. *Alæ* (inferæ) longitudinaliter parum nervosæ: nervo costali medium costæ attingente cum nervo auxiliari aream oblongam formante, quæ nervis duobus discretis apicem versus terminatur. Præterea vix

nisi duo observantur nervi longitudinales, simplices, alter in medio, alter ad marginem interiorem. *Pedes* sex, vel simplices, nudi s. spinulosi, vel incrassati & denticulati.

Differt *Sexus:* genitale *Maris* corneo, integro, hamos duos includente. In *Femina* adest rima, cui stylus ensiformis, vaginatus, haud retractilis, interdum absconditus, insidet.

Genus Hemipterorum *Cimex* LINN. & DE GEER. opera & studio Cel. FABRICII in Systemate *Rhyngotorum*, a. 1803 edito, per 23 Genera fuit dispositum. Species omnibus his Generibus insertæ in dicto libro numerum 780 superant, Familiam s. Ordinem Naturalem jure constituentes. Varia quoque ab aliis facta sunt additamenta figuris æneis & observationibus illustrata. In his inprimis nominandi sunt Cel. STOLL & WOLFF.

Felicissimo quoque ingenio & magna industria dispositionem Generum Insectorum plurifariam elaboravit Cel. LATREILLE, Entomologus Galliæ facile primarius. Sic in Opere nuper edito: *Familles naturelles du Regne Animal* Paris 1825, 8:o, Species *Cimicidum* ad *Heteroptera*, quæ Sectionem Hemipterorum primam constituunt, eorumque ad Familiam primam, *(Geocorisas,)* retulit; novas præterea divisiones introduxit, & nomina 45 Generum enumeravit. Hanc autem Familiam in quinque distribuit *Tribus*, quarum prima, specierum ditissima, divisionibus iterum iterumque repetitis nimium forsitan laborat.

Cimicides Sveciam inprimis incolentes describere in animum jam induximus. Hujus autem rei exemplum in *Monographia Cimicum Sveciæ*, Hafniæ a. 1807 antea dedimus, methodo Fabricianæ hoc tempore nimis addicti. Deinde Specimen novam Hemiptera disponendi methodum exhibens a. 1814 edidimus, notasque genericas a variis corporis partibus desumtas

eligimus. Hanc autem methodum ulterius persequi Speciesque ipsas novis detectis auctas pertractare, nostrum jam erit propositum.

Vita & *Metamorphosis* Cimicidum a reliquis Hemipteris haud multo recedit. Explicatur scilicet ab ovo *Larva* hexapoda, Imagini aliquatenus similis, at aptera. Elytris alisque explicatis *Imago* s. Insectum completum oritur. Ante hoc tempus in *statu Larvæ* vitam degunt, nisi a tempore, quo rudimentum elytrorum incipitur, *statum Pupæ* dicere velles. Hæc Insecta, pro more solito, tunicas deponere verisimile est, at raro observatum. — Instat *tempus copulationis* sæpius & quidem sæpissime non prius, quam Insectum perfecte est declaratum. In *Cimicidibus* autem hujus rei plures forsitan dantur exceptiones, quam in aliis Insectorum Familiis alatis. Quasdam Species semper apteras permanere cognitum est. In aliis Sexus alteruter alatus, ex. gr. mas *Capsi ambulantis*, quem in copula cum femina aptera semper reperimus. In aliis observatur copula ante explicationem elytrorum, ex. gr. in *Coreo miriformi*, quem præterea copulatum invenimus post declarationem perfectam vel alterius vel utriusque sexus. Adsunt quoque Species in Systemate apteræ descriptæ & denominatæ, quæ alatæ postea observatæ fuerunt.

Ova loco pro victu & defensione idoneo committunt. Plerosque eorum sub cortice arborum, vel ad radices plantarum, vel in floribus progeniem abscondere creditur. — *Alimentum* e succo Vegetabilium hauriunt; nec nisi pauciores alia insecta infestant. Ideoque feroces (gall. *Carnassiers*) non apprime dicuntur *Cimicides*. *Acanthia lectularia*, forsitan unica species sanguisuga a majoribus quibusdam *Corei* speciebus infestatur. Varias species, sin omnes, & Larvarum instar & Imaginum, sub cortice arborum, sub lapidibus foliisque exsiccatis hibernare, sæpe observavimus.

Volatus Imaginum tardus & brevis. Motus autem ambulatorius frequentior.

Omnes & singulas Cimicidum species contactu odorem prodere specificum, magis minusve fœtidum, (interdum fere gratum) mirum sane videbitur. Adfinitatem, quæ inter illas intercedit, maximam hæc qualitas, ab homogeneo quodam alimenti genere minus apte, quam a structura corporis interna conformi explicanda, facile comprobat.

Imago characteres systematicos solum præbet. Sic a diversa rostri antennarumque structura, articulatione, insertione & proportione, characteres Generum desumsit Cel. Fabricius, eandemque viam in definiendis divisionibus secutus est Cel. Latreille, adjectis tamen notis ab aliis partibus desumtis. Harum autem constantiam, i. e. quatenus omnibus ejusdem Generis speciebus sunt communes, investigare atque examinare, difficilis sæpius erit labor. Nihilo tamen minus, si alia quadam via procedere fas est, non prorsus impossibile, nec forte supervacaneum judicabitur, Genera Cimicidum determinare methodo convenientiori, quæ quidem, a quocunque Systematico, usui Systematis & fini consulente, est exspectanda. Sive enim structuram vel totius corporis vel ejus partium, sive ipsum vivendi modum conspexeris, species haud paucas videbis inter se similes, quo respectu sub eodem Genere militare debent. Quamquam enim notas, uti fas fuit, a structura corporis ejusque partium solummodo desumsimus, metamorphosin tamen & victum in ipsa viva natura sedulo observavimus; unde Genera, prouti a nobis proponuntur, jure meritoque *naturalia* salutari possint Nec est negandum, quin notæ a directione nervorum in ipsa *membrana hemelytrorum* facilem, immo facillimam, ad divisiones & ad Genera dignoscenda viam indicent. Nobis quoque contigit non solum tempore, quo vixit Hafniæ b. m. N Tønd. Lund, magnam specierum exoticarum copiam contemplari, verum etiam accessus nobis patuit ad Nobil. a Vigiliis Præfectum & Equitem Leonh. Gyllenhal, cui, tanta quanta debentur,

dicere vellemus læti gratique. Nam plures species antea incognitas, placuit Ei, pro sua in nos benevolentia, ex Collectione sua Specierum Svec. facile ditissima nobiscum communicare, variaque consilia & exempla Synonymiam illustrantia suppeditare. — Plerasque etiam Species exoticas in aliorum collectionibus & in nostra propria lustratas, ad Genera a nobis proposita referri posse, ex convenientia notarum satis evincitur. Sic Genera & Nomina nec nimis numerosa, neque nimis pauca Scientiam gravabunt.

Justa & adæquata *Determinatio Speciei* impeditur, partim *mollitie*, ob quam corpus exsiccatum corrugatur & transfiguratur; partim *mutatione coloris*, a quo differentiæ haud raro desumi solent. Utrumque Sexum & varietates cognoscere oportet. Synonymiam quoque rite adplicare interest. Hanc autem in Speciebus descriptis, quibus vel alter sexus, vel copia individuorum defuit, explorare non minoris erit molestiæ. *Differentiam* præterea vel aliter ac præcepta Scientiæ postulant, apud Auctores interdum fuisse propositam, vel mutatione propter nova inventa novasque observationes esse obnoxiam, experientia satis docet.

Contigit nobis plerasque Species indagare viventes, plura quoque individua ejusdem Speciei colligere & inter se comparare. Insecti igitur vivi & frequenter obvii descriptio certissima, minus frequenter obvii certior exsiccati. Attamen ex eo non intelligi potest, descriptionem speciei, cujus specimina pauca adfuerint, vel exsiccata, falsam omnino fore, nihilque determinantem; sed notas, ab individuis iisque quam plurimis, inprimis nuper captis, desumtas ad certam cognitionem propius accedere contendimus. Neque enim obstat, quominus notæ a paucioribus & exsiccatis petitæ, æque stabiles permaneant, nisi observata in posterum aliter svaserint.

Plurimæ Species mense Augusto & Septembri adparent. Capiuntur vel *excipulo* in gramine vibrando, eodem fere modo, quo messores falcem movent; vel *forfice* vel digitis. Quædam investigantur sub

cortice arborum emortuarum, vel ad radices graminum &c. Aliæ in ripis & litoribus versantur, aliæ in Umbellatis aliisque floribus hospitantur, & in *Urtica dioica*, ubi vel 20 diversæ species capi possunt, gregatim convenire videntur. Adfiguntur ad acum in margine extimo *dextri elytri*, non in *thorace* nec in *scutello*, ne notæ ab his partibus desumendæ lædantur. Svethice ob odorem *Stinkfly* adpellari possunt. Locum in Systemate Hemipterorum ante Cicadarias habebunt.

His utere L. B. usque dum alii meliora sistant.

Synopsis Generum Cimicidum.

Sectio Prior.

Thorace integro, scutiformi.

Divisio 1:a. *Corpus dilatatum: scutello magno.*

α) Antennæ 5-articulatæ.

1. Tetyra *Scutellum* maxima ex parte *abdomen* obtegente.
2. Cydnus *Corpus* convexum: *capite* parvo, *tibiis* spinosis.
3. Sciocoris *Corpus* depressum: *capite* dilatato; *tibiis* submuticis.
4. Cimex *Corpus* obtuse ovatum, convexum: *capite* parvo, *tibiis* submuticis; *membrana* hemelytrorum longitudinaliter nervosa.
5. Ælia *Corpus* ovatum: *capite thoraceque* triangulatis.

β) Antennæ 4-articulatæ.

Edessa peregrinatur. (E. g. *Ed. papillosa* Fabr.)

Divisio 2:a *Corpus sæpe oblongum: scutello parvo. (Antennæ semper 4-articulatæ).*

α) Membrana hemelytrorum striatim multi-nervosa.

6. Coreus *Corpus* oblongum: *thorace* versus caput parvum valde declinato; *membrana* longitudinaliter multi-nervosa.

7. Alydus *Corpus* elongatum: *capite* magno, exserto; *hemelytris* angustis: *membrana* oblique furcatim nervosa.
8. Corizus *Corpus* oblongum: *antennarum* articulo ultimo subclavato; *hemelytris* oblique truncatis: *membrana* subtiliter multi-nervosa.

β) Membrana hemelytrorum areolis crebris reticulata.

9. Pyrrhocoris *Corpus* ovatum: *hemelytris* apice rotundatis: *membrana* sat crebro reticulatim nervosa.

γ) Membrana hemelytrorum longitudinaliter (interdum obsolete) 5-4-nervosa.

10. Lygæus *Corpus* oblongo-ovatum: *capite* brevi, acuto; *membrana* hemelytrorum distincte curvatim nervosa.
11. Anthocoris *Corpus* ovatum, antice angustatum: *antennarum* articulo secundo elongato; *membrana* obsolete nervosa.
12. Geocoris *Corpus* subquadratum: *capite* dilatato; *antennis* filiformibus, *membrana* rudimento quatuor nervorum simplicium.
13. Salda *Corpus* obtuse ovatum: *capite* parvo; *antennis* filiformibus; *membrana* nervis quatuor ante apicem connexis.

δ) Membrana hemelytrorum præter areolam sesquialteram nervis destituta.

14. Phytocoris *Corpus* ovatum: *antennis* setaceis, elongatis; *thorace* postice latiori; *tibiis* spinulosis.

15. Capsus *Corpus* ovatum: *antennis* elongatis, apice capillaribus; *thorace* latitudine subæquali; tibiis *spinulosis;* (*membrana* interdum nulla).

16. Miris *Corpus* elongatum, attenuatum: *antennis* setaceis, longissimis; tibiis pilosis; (non spinulosis).

ε) Membrana hemelytrorum aut ramoso-nervosa, aut nulla.

17. Aradus *Corpus* oblongum, applanatum: *capite* spinoso; *antennis* validis; *membrana* crebro ramoso-nervosa.

18. Acanthia *Corpus* rotundatum, applanatum, apterum; *antennis* setaceis.

19. Tingis *Corpus* depressum, supra reticulatim nervosum: interstitiis punctiformibus; *antennis* clavatis.

Sectio Posterior.

Thorace oblongo, coarctato.

Divisio 1. *Antennæ 5-articulatæ.*

20. Reduvius *Thorax* antice coarctatus *membrana* hemelytrorum magna: arcis 2 longitudinalibus s. nullis.

Divisio 2. *Antennæ 4-articulatæ.*

α) Antennis vix fractis.

21. Hydrometra *Corpus* angustatum: *thorace* in locum scutelli producto; *hemelytris* totis longitudinaliter striato-nervosis.

22. Emesa *Corpus* filiforme: *capite* thoraceque lobatis; *oculis* in collo sitis.

β) Antennis distincte fractis.

23. Gerris *Corpus* filiforme: *hemelytris* membranaceis vix striatis; *pedibus* anticis brevibus, crassis.

24. Berytus *Corpus* filiforme: *hemelytris* substriatis, *pedibus* anticis & intermediis subæqualibus.

Sectio I.

Thorace integro scutiformi.

Divisio 1:ma. *Corpus dilatatum, convexum: scutello magno.*

α) Antennæ 5-articulatæ.

1. Tetyra *Corpus* ovatum: *scutello* abdomen vel totum vel maxima ex parte obtegente.

Corpus mediæ magnitudinis, in nostris Speciebus ovatum, crassum, validum, utrinque convexum. *Caput* subquadrangulare, planiusculum, s. convexum, parvum, declinatum, insertum, & *thorax* similiter atque in Generibus subsequentibus fere constructa. At *scutellum* maximum, fornicatum, abdomen sæpe totum obtegens, hocce Cimicidum Genus a reliquis mox distinguit. *Elytra* abscondita, alæformia, ad costam baseos coriacea. *Pedes* mediocres, breviter spinulosi. *Antennæ* filiformes, thorace vix longiores, sub oculis inserti: articulo ultimo oblongo-ovali, reliquis paullo crassiori.

Species Sveciæ a nobis lustratæ, inprimisque earum *Larvæ* juxta lapides & ad radices plantarum potissimum sese latitant, in floribus arvorum interdum morantes. *Motus* tardus. *Differentia Sexus* Generis Cimicis.

Not. Species Tetyræ exoticæ numerosæ, habitu a se invicem interdum aberrant. Etenim aliæ ovatæ, aliæ oblongæ. Thorax quoque in aliis vel spinosus vel auritus, in aliis muticus. Nota autem a magnitudine Scutelli desumta pro Genere unico stabiliendo, nec in plura lacerando, satis superque sufficit.

1. *T. nigro-lineata* testaceo-rubra: lineis capitis 2, thoracis 6, scutelli 4 abdominisque punctis numerosis nigris.

Tetyra nigro-lineata Fabr. Syst. Rhyng. 3. 136. 6 (numero linearum diverso) Zetterstedt Act. Holm. 1819 p. 69.

Cimex Fabr. Ent. Syst. & Linn. Syst. Nat. 716. 6.

Mas & Fem. Ad prædium Berga in Provincia Calmar. mense Julio a Cel. Zetterstedt lecta. — — *T. maura* vix minor, at minus convexa, scutelloque paullo angustiori instructa. Antennæ nigræ: articulo secundo rufo. Corpus supra rugulose-punctatum, rufo nigroque alternatim longitudinaliter lineatum; lineæ rufæ angustiores. In his tres intermediæ sunt contiguæ, caput, thoracem scutellumque transeuntes. Linea thoracis lateralis utrinque insuper adest. Exterior hemelytrorum pars rufa conspicitur. Puncta præterea aliquot in margine abdominis rufa. Corpus subtus rufum: punctis numerosis nigris, in serie dispositis. Pedes nigri, ad partem rufo-maculati, spinulis vix nisi brevissimis armati.

Not. Specimina exotica ad Nos missa pedibus fere totis rufis gaudent.

2. *T. maura* fusco-ferruginea, scutelli punctis 2 baseos albis, marginisque abdominis nigris.

Tetyra maura Fabr. Rhyng. 136. 36. *Cimex* Ent. Syst. 4. 87. 30. Linn. Fn. 913. Sulz. Hist. Ins. t. 11. f. D.

Mas & Fem. Habitat in Svecia passim. In Vestrogothia D. Gyllenhal; in floribus arvi *Karakås* Esperöd; *Larva* adultior ad radices fruticum ibidem observata, imagini sat similis. Color corporis variat, vel cinereo-fuscus, vel ferrugineus; vel unicolor vel pallido-pictus. Magnitudo autem vix va-

riat; *Cimice-baccarum* fere crassior. — *Caput* in medio lineolis 2 impressum. *Corpus* nudum supra subtiliter nigro-impresso-punctatum. Thoracis margines non plicati. *Scutellum* maximum, abdomen fere totum una cum membrana elytrorum tegens, puncto oblongo ad basin utrinque albo calloso, lineolaque dorsali lævi pallida sæpius præditum. Margo abdominis nigro-maculatus, postice elytra excedens, spiraculis nigris. *Pectus* pedesque nigro-punctata. Armatura pedum vix ulla l. brevissima. Antennarum articulus ultimus niger.

Var. α. ferrugineo-cinerascens. *T. maura* Fabr.

Var. β. obscure ferruginea: macula utrinque scutelli discoidali lineolaque media postice bifurca pallidis.

Tetyra picta Fabr. Rhyng. 136. 38. mera *T. mauræ* varietas junior, cum varietate in α arvo Esperöd haud raro inventa.

Var. γ. pallide testacea abdominis margine utrinque prominulo fusco-maculato.

T. maroccana Fabr. Rhyng. 133. 25. ejusdem quoque speciei, nuper exclusæ, videtur. Accidit interdum, ut individua nondum copulata & acui adfixa oleosa evadant & nigrescant.

Not. Hanc speciem variare fertur & magnitudine (v. Fabr. l. c.) & colore (v. Schrank Enum. Ins. Austr. p. 263) nota tamen constanti: "*scutelli puncto utrinque pallidiori*". Jam autem plura dantur & Specie & Genere specimina diversa, quæ ejusmodi picturam coloremque cinereum habent; ex. gr. apud Nos: *Cimex perlatus* & *umbrinus*. Wolff. An igitur confusio? — Individua, eaque plura in Svecia capta, eadem magnitudine gaudent.

3. *T. carbonaria* "nigricans punctata pubescens, scutelli postico macula utrinque oblonga punctoque in medio majori, linea fusca diviso, aterrimis".

Tetyra carbonaria Zetterst. Act. Holm. 1819. p. 70.

Mas. In Lärketorp Ostrog. a D. Zetterstedt lectus, & in Collectione Ejus adservatus. — "*T. fuliginosa* triplo major, s. *Cydno bicolore* vix minor. Corpus griseo-nigricans, supra breviter nigro-villosum. Caput triangulare: rudimento linearum frontalium. Thorax convexus, punctulatus; utrinque ad latera impressus. *Scutellum* totum abdomen tegens, punctulatum: maculis 3 holosericeis, media obovato-rotunda, lateralibus autem ovato-oblongis apice acutis. Linea præterea cinerea totum transit scutellum maculamque mediam secat. Hemelytra angustata, brevia, picea: membrana magna lactea. Pedes nigri, nitidi, paullo pilosi. Tibiæ, præsertim anteriores, spinulosæ, at breviter, nec ita evidenter atque in *Tet. scarabæoide*. Tarsi ad basin rufæ".

Fem.

4. *T. humeralis* "supra nigra: scutelli macula humerali pallida triangulari; capite subquadrato antice truncato; subtus livida nigro-irrorata: antennis pedibusque concoloribus".

Tetyra humeralis Dalm. Analect. Entomol. 1823. p. 94.

Fem. "In Hallandia a D. Doct. Osbeck olim capta, in Museo D. de Paykull adservata. Specimen unicum. Longit. 2½ lin. Paris. latit. 1½ lin. magnitudine *T. fuliginosæ*. — Corpus glabrum non nisi subtilissime pubescens. Caput (oculis exceptis) quadratum, lateribus rectum, antice truncatum, angulis parum rotundatis, nigrum, confertissime punctulatum. Antennæ nigræ: geniculis pallidis; articulo apicali toto nigro, crassiori. Oculi valde prominuli: orbita flava. Thorax quam longus duplo latior, antice posticeque angustatus & truncatus, punctatissimus, fo-

veola laterali impressus, niger, nitidulus, angulis anticis & posticis punctisque quatuor disci anterioris pallide testaceis, obsoletis. Scutellum thoracis basi manifeste angustius, ante medium paullo dilatatum, apice rotundatum, abdominis margines non obtegens, convexum, confertissime punctulatum punctisque elevatis nitidioribus paucis adspersum, nigrum, utrinque macula humerali pallide testacea, subtriangulari apicem introrsum spectante margineque laterali testaceo punctato. Hemelytra hyalina, costa versus basin testacea, nigro-punctata. Corpus subtus sordide testaceum, punctulatum nigroque irroratum, margine inde a scutello non tecto, obscuro, pallide maculatum. Pedes simplices testacei, nigro-irrorati: tibiis obscurioribus, annulo medio pallido".

Fem.

Not. Proliziorem & exactam hujus insecti descriptionem dedit Nobil. D. Dalman loc. cit.

5. *T. fuliginosa* griseo-nigroque variegata, pubescens: lineola dorsali alba liturisque nigrioribus.

Tetyra fuliginosa Fabr. Rhyng. 139. 50. *Cimex* Ent. Syst. 4. 90. 42. Linn. Fn. 914. mas hujus speciei.

Mas & Fem. pictura dissimiles. *T. scarabœoide* paullo major; apud nos rarior obvia; aliquot tamen vidimus individua feminea viva, in arvo Esperöd Scan. a D. Kjellberg inventa, æstate 1826, masculo a nobis lustrato majora s. robustiora, magis irregulariter nigro-picta, feminisque *Tet. scarabœoides* semper majora. — *Corpus* crassum, valde convexum, brevissime pubescens, pube tamen laterali evidentiori instructum, impresso-punctatum, subtus nigro-piceum, supra gricescens, nigro-maculatum. *Caput* antice rotundatum: oculis exsertis, antennis obscure ferrugineis. *Thorax* inæqualis, in medio transversim subfoveolatus. *Scutellum* thoraci concolor, abdomen operiens, litura utrin-

que curva, punctis baseos & anali, nigris; in medio linea glabra alba, per thoracem quoque transiens punctumque scutelli anale dissecans. Hæc autem pictura in masculo evidentior est quam in feminis. In individuis autem bene conservatis, ad certum luminis situm conspectis, observantur lineæ albicantes e pube brevissima ortæ, longitudinales, thoracem & scutellum transeuntes. Caput quoque albo-micat: striga media fusca Lineæ thoracis albicantes 6, e quibus binæ saltem dorsales scutellum transeunt. Adsunt in basi scutelli feminæ maculæ plures nigræ, neque deest rudimentum lituræ nigræ in disco, nec punctum albo-bifidum, quod in masculo est evidentius. Pedes picei, tibiis breviter spinulosis. Hemelytra alæformia, alba, extus ad basin paullo coriacea.

6. *T. scarabæoides* lævis, corpore toto æneo-atro.

Tetyra Fabr. Rhyng. 143. 70, *Cimex* Ent. Syst. 4. 89. 37. Linn. Fn. 912. Wolff. Cim. 1. 4. t. 1. f. 4.

Mas & *Fem.* In gramine sub arbustis ad viam Esperöd. mense Sept. sat frequens; magnitudine fere *Coccinellæ 2 punctatæ.* Corpus nudum, æneo-nigrum, punctulatum: scutello maximo, abdomen obtegente. Individua feminea masculis sæpissime paullo minora. *Larva* imagini similis, rudimento scutelli hemelytrorumque excepto. Tibiæ distincte spinosæ.

---

7. *T. Tangira* cinerea, thorace antice utrinque spina obtusissima.

Tetyra Tangira Fabr. Rhyng. 138. 49.

Fem. In Ölandia a D. B. F. Friessemel capta. *Cydni morionis* individuis minoribus non major. *Caput* nigrum: oculis valde exsertis; *antennis* nigris, subpilosis. *Corpus* supra cinereum, impresso-nigro-punctatum. *Thorax* antice juxta oculos spina utrin-

que obtusissima armatus. *Scutelli* puncta duo callosa ad basin alba. Margo elytrorum scutello concolora. *Corpus* subtus ferrugineo-fuscum. *Pedes* pallidi: femorum apice nigro-maculato, tibiis vix nisi brevissime spinulosis.

Mas.

Obs. Non nisi unicum lustravimus individuum, in Collectione D. Zetterstedt adservatum. — *Tetyræ* ejusdem corporis structuræ dantur exoticæ; in his *Tet. Desfontainii.* Aliæ sunt species, quarum thorax spina utrinque laterali acuta gaudet, in his *Tet. dispar* Fabr. *Cim. oculatus* Thunb. Aliæ staturam corporis hemisphæricam habent, ut *Tet. flavipes* et *Vahlii* Fabr, formam Cassidæ mentientes.

2. Cydnus *Corpus* ovatum antice posticeque rotundatum: *capite* parvo; *scutello* magno triangulari; *tibiis* spinosis.

Corpus mediæ plerumque magnitudinis, (in nostris Speciebus impresso-punctatum, convexum, vix pilosum, nec planiusculum) *Caput* insertum parvum, subrotundatum, antice emarginatum. *Thorax* antice pro receptione capitis emarginatus, postice lateribusque rotundatus: dorso elevato, convexo. *Scutellum* sat magnum triangulare, apice ultra medium descendente, obtuso. *Elytra* coriacea: apice membranaceo, parum furcatim nervoso. *Pedes* validi: *tibiis* distincte spinosis (non ciliatis).

A *Cimice*, cui affinis, optime distinguitur 1. Capitis clypeo latiori magisque rotundato. 2 structura thoracis antice posticeque æqualiter fere dilatati (inde figura corporis, anteriora versus, magis rotundata, quam in *Cimice.*) 3. Tibiis spinosis.

Differentia Sexus in exsiccatis non nisi difficulter detegitur. In ea tamen, ut et in victu cum *Tetyra* prope convenit *Cydnus*, sub lapidibus plerumque lati-

tans, flores quoque visitans. Quando capitur, timide paullo exspectat, mox autem celeritur currere conatur. Humorem pinguem e demortuis evaporantem sæpius vidimus.

1 C. *Morio* ater, immaculatus, antennis basi tarsisque ferrugineis.

Cydnus Morio Fabr. Rhyng. 184. 3. *Cimex* Ent. syst. 4. 124. 171. Linn. Fn. 932. Wolff. Cim. 2. p. 67 t. 7. f. 64. *Cim tristis* Panz. Fn, 32 t. 16. id. Fabr. *Cim. niger spinipes* De Geer Ins. 3. 269. 13. Varietas minor.

Mas & *Fem.* similes. Hospitatur hæc species sub lapidibus in agris arenosis prope Kivik in Scania mense Junio, et in plantis agrorum quiescentium mense Septembri. Variat uterque Sexus magnitudine *Cimicis baccarum* et *C. oleracei.* — Corpus ovato dilatatum, obscure nigrum, supra confertim impresso-punctatum, immaculatum: membrana elytrorum alisque albis. Articulus secundus ad basin antennarum, tarsi et rostrum ferruginea Thorax vel æqualis, vel in medio transversim paullo retusus, (inprimis in minoribus). Tibiæ valde spinosæ.

Var. β minor: membrana elytrorum vel alba vel nigricante.

Not. Deest in figura delineata *C. tristis* Panz. color rufus ad basin antennarum et in plantis. Hæ autem partes in specimine exsiccato facile nigrescunt.— Specimen vidimus exoticum *C. morioni* primo quidem intuitu simillimum, at specie revera diversum. Etenim thorax vix impresso-punctatus, et elytra punctis non nisi rarioribus, nec ita profundis, impressa sunt. Caput quoque paullo declivius, superficie magis inæquali. Pili aliquot rariores rigidi in fronte et in margine thoracis adsunt. Forte mas *Cydni flavicornis* Fabr. Rhyng. 184. 2? — Maxima est et erit specierum affinium confusio, nisi notæ a structura, et ab impressionibus indicantur.

2 *C. bicolor* niger, elytris albo-nigroque variis, tibiis ad basin albis.

Cimex bicolor Fabr. Rhyng. 176. 109. Ent. syst. 4. 121. 161. Linn. Fn. 936. De Geer Ins. 268. 12. Panz. Fn. 32. t. 11. Wolff. Cim. 2. p. 63. t. 7. f. 60.

Mas & Fem. Habitat frequens in agris demessis mense Septembri, et sub lapidibus tempore veris. Uterque Sexus similiter pictus. Corpus ovatum impresso-punctatum, nigrum, nitidum. Alba sunt: macula thoracis utroque in margine, lunulæ binæ elytrorum, maculæ simplices in margine abdominis. Pedes nigri: tibiis spinosis ad basin albis. Alæ et membrana albida. Magnitudo parum variat. Insectum vulgare!

3 *C. biguttatus* niger: margine undique albo.

Cimex biguttatus Linn. Fn. 935. Fabr. Rhyng. 178. 116. Ent. syst. 4. 122. 164.

Mas & Fem. In floribus pratorum Esperöd mense Junio obvius — Corpus nigrum, impresso-punctatum, magnitudine fere *C. bicoloris*, minus tamen convexum. Margo extimus thoracis utrinque, elytrorum abdominisque albus. Thorax in medio transversim retusus. Antennæ et pedes nigra: tibiis subspinosis.

Var. *α* puncto elytrorum discoidali albo.

Var. *β* puncto elytrorum nullo.

Not. Puncta hæc alba interdum desunt in vivis, et sæpe evanescunt in mortuis. Hinc facile *Cim. albomarginatus* Panz Fn. 33 t. 12 ortus est. Figura enim nostris speciminibus dissimilis, cum Specie nostra sequente non confundenda.

4 *C. albo-marginatus* cærulescens: margine thoracis elytrorumque albo, abdominis albo-guttato.

Cimex albo-marginatus Schrank. Ins. Austr. 275.

531. *Cim. dubius* WOLFF. Cim. 2. p. 64. t. 7. f. 6 ♀ vera. LINN. Syst. Nat. p. 2159. 348. Scopuli.

Fem. Specimen unicum. In Svecia semel a D. ZETTERSTEDT lectum. — Statura et magnitudo *C. bicoloris*, similiter convexa. Corpus obscure cæruleum, supra subtiliter impresso-punctatum, immaculatum. Thorax transversim impressus: margine extimo albo. Margo elytrorum albus; at margo abdominis modo guttatim albus (flavo-variegatus; Schrank l. c.) Antennæ et pedes concolores: tibiis spinosis.

Mas.

5 *C. picipes* niger: antennis, pedibus margineque extimo elytrorum ferrugineis.

Cydnus picipes Monog. Cim. 54. 4.

Mas & Fem. Habitat in Scania rarior, in Gottlandia a D. ZETTERSTEDT in copula sub lapide inventus. Statura omnino *C. morionis* at multo minor, magnitudine vix *Tet. scarabœoides.* — *Corpus* impresso-punctatum, nigrum, nitidum: margine extimo elytrorum ferrugineo (in vivis forsitan albo?) et membrana alba. Antennæ et tibiæ spinosæ, obscure ferrugineæ. *Scutellum* ratione proportionis majus, ad apicem latius quam in *C. morione.* *Mas* in Collectione D. ZETTERSTEDT adest. *Cydn nigrita* FABR. Rhyng. 184. 1, species præsumitur major.

3. SCIOCORIS *Corpus* obtuse-ovatum: *capite* dilatato, *tibiis* submuticis.

Corpus parum convexum, attenuatum, antice posticeque rotundatum. *Caput* insertum æqualiter dilatatum atque pars thoracis anterior, quo respectu hocce Genus a *Cydno* mox discernitur. *Thorax* convexus, integer, postice latior, abdominis scilicet latitudine. *Scutellum* magnum, similiter atque in *Cydno* constructum. Membrana elytrorum longitudinaliter

3- s. 4- nervosa. *Pedes* breves, parum vel vix spinosi.

1. *S. umbrinus* griseus, nigro-punctatus: abdominis margine maculis binatis fuscis.

Cimex umbrinus Wolff. Cim. 4. 142 t. 14 f. 136.

Cydnus Monogr. Cim. p. 54. 5.

Mas & *Fem.* In summitate montis *Stenshufvud* Scaniæ mense Junio, ad radices graminum timide sese latitans; æstate adulta in gramine humili pascuorum *Esperöd* quoque occurrit, *Acant. lectularia* paullo major — *Corpus* griseum, supra punctis minutis nigris impressis notatum, antice posticeque rotundatum. *Caput* immarginatum, antice vix emarginatum, postice latitudine thoracis. *Antennæ* 5- articulatæ. *Oculi* laterales parvi, nigri. *Scutellum* apice obtusum, maculis baseos nigris et duabus albis obsoletis pictum. *Elytra* abdomen postice vix obtegentia: membrana fusca. *Alæ* breves albæ. *Abdomen* postice dilatatum, supra in medio nigrum: margine griseo, maculis binatis fuscioribus notato; subtus in medio plerumque annulo nigro nitldo, vel rarius macula rotundata nigra integra, vel maculis pluribus longitudinaliter positis, et præteræa maculis ad latera pectoris nigris nitidissimis instructum. *Pedes* grisei, *tibiis* vix spinosis. *Sexus differentia*, ut in *Cimice*, ano scilicet *maris* retuso emarginato, *feminæ* clauso. *Larva* valde tenuis et depressa. Inter declaratos frequentior est varietas: *annulo ventrali nigro.*

Not. Fertur, structuram hujus speciei a structura *Halys planæ* Fabr. non recedere, *Cydnumque umbraculatum* Fabr. Rhyng. 186. 10. huc esse referendum.

4 Cimex *Corpus* subovale: capite parvo, thorace antrorsum sensim angustato; tibiis submuticis; membrana hemelytrorum longitudinaliter nervosa.

Corpus mediæ magnitudinis subovale, supra im-

presso-punctatum, (nudum). *Caput* insertum parvum: fronte truncata *Thorax* antice angustior, postice latior, cum capite formam constituit fere triangularem. *Scutellum* sat magnum, subtriangulare. Margines abdominis exserti, subelevati. *Membrana* hemelytrorum longitudinaliter 5-7 nervosa: nervo uno alterove furcato. *Pedes* hirsutuli s. pilosi: tibiis haud spinosis. *Antennæ* 5 articulatæ. *Rostrum* thorace modo brevius, modo longius. *Armatura* thoracis vel nulla, vel spinosa, vel aurita.

Anus in masculis emarginatus, retractus,. sæpe bidentatus, in feminis clausus, rima parva divisus.

Vegetabilia victitant, in plantis, inprimis in fruticibus arboribusque versantur et *Larvæ* et *Imagines*. Quasdam Species alia Insecta persequi, observavimus.

* *Thorace utrinque spinoso s. aurito.*

1 *C. bidens* thorace acute spinoso brunneo-griseus: antennis rufis.

Cimex bidens Linn. Fn. 921. Fabr. Rhyng. 151. 2. Ent. syst. 4. 93. 54. De Geer Ins. 3. t. 15 f. 9. Panz Fn. 26. t. 22.

Mas & *Fem.* In arbustis sat frequens, in copula insidens plantis agrorum quiescentium tempore autumnali. Inter majores hujus Generis - *Corpus* brunneo-griseum, supra æneo-fuscum, impresso — nigro-punctatum: pectore coccineo-maculatò. Spinæ thoracis elevatæ, nigræ. Apex scutelli obtusus, pallidus. *Membrana* elytrorum et *alæ* æneo-nitent. *Pedes* rufescentes. Femora antica dente armata. *Mas* paullo minor: ano truncato, corniculis 2 acutis elongatis instructo.

2 *C bispinus* thorace acute spinoso subtestaceus: capite spinisque nigris, sterno carinato.

Cimex bispinus Wolff. Cim. 1. 8. t. 1. f. 8 Panz.

Fn. 26. t. 23. *C. ferrugator* Fabr. Rhyng. 162. 37. Ent. syst. 4. 101. 86.

Fem. Habitat prope Holmiam. Uterque Sexus a D. D. Paykull, Hæffner & Schönherr lectus. Specimen descriptum a D. Gyllenhal missum. Magnitudo *Cim oleracei* — *Corpus* (exsiccati) nitidum, griseo-testaceum, subtus et supra impresso-nigro-punctatum. *Antennæ* pallidæ,: articulo ultimo fusco. *Caput* supra et spinæ acutæ et validæ thoracis nigra, nitida. *Scutellum* in medio nigrum, apice pallidum. *Membrana* elytrorum magna, apice nigro-infuscata. *Abdomen* summo in margine nigro punctatum. *Pedes* pallidi, impunctati, leviter pilosi.

Not. Abdomen, ut in speciebus tribus subsequentibus, carina ventrali instruitur.

3 C *hæmorrhoidalis*, thorace subacute-spinoso, subvirescens: antennis nigris, abdominis dorso nigro- et rubro-variegato; sterno carinato.

Cimex Fabr. Rhyng. 160. 27. Ent. Syst. 4. 98. 76. Linn. Fn. 925. De Geer Ins. 3. 254. 3 tab. 35 fig. 7.

Mas & Fem. Habitat in Svecia; a nobis nondum, nisi rarissime, inventus. Inter species nostras, saltim quoad longitudinem, maxima — *Corpus* (mortui) supra subvirescens, vel (in diu conservatis) testaceo-rufescens, impresso-nigro-punctatum: spinis thoracis, vel rufis vel nigris; subtus (in vivis) viride, glabrum, immaculatum: ano rufescente. Thoracis linea antica transversa subferruginea. Apex scutelli pallidus. *Abdomen maris* (in nostris) supra rubrum, nigro-maculatum, *feminæ* nigrum, rufo-maculatum, margine in utroque sexu pallido, immaculato. *Membrana* elytrorum brunnea. *Pedes* (in vivis) virides, immaculati, in exsiccatis pallidi. *Mas.* ano bilobo, ciliato, truncato: corniculis 2 acutis; *Femina* ano clauso, supra lamellis 2 tecto.

4 *C. lituratus* thorace brevissime spinoso, virescens: elytris interne ferrugineis; sterno carinato.

Cimex lituratus Fabr. Rhyng. 170. 84. Ent. Syst, 4. 114. 134. Panz Fn. 40 t. 19. Wolff. Cim. 1. 14 t. 2. f. 14. *Cim. dentatus* De Geer Ins. 3, 260. 8.

Mas & Fem. Habitat in Juniperitis. Imagines virgulis *Juniperi communis*, media hieme, in domos introductæ sæpius observantur; mense Septembri frequentiores, Esperöd. Statura omnino *C. hæmorrhoidalis*, at minor, & spinæ thoracis parum exsertæ. *Corpus* viventis virescens, supra nigro-impresso-punctatum, nitidum: parte elytrorum interiori rufescente, thoracisque antice magis glabro et pallidiori. Corpus autem exsiccati sæpius pallescens s. in testaceum vergens, similiter atque in *C. hæmorrhoidali;* pictura quoque elytrorum rufa vel in pallidam vel in fuscam mutata. Abdomen supra nigrum, margine pallidum; subtus immaculatum, spiraculis modo nigris anoque, præsertim maris, rufo. Membrana albida interdum fusco-maculata. *Sterni* et *ani* structura, ut in C. hæmorrhoidali.

Var. β thoracis fascia pallidiori, *Cimex collaris* Fabr. Rhyng. 170. 83. "margine elytrorum interiori et postico rufis".

Not. Quamquam in descriptione Cel. Fabricii nulla de sterno carinato fit mentio, et quamquam hæc species et subsequens in ea subdivisione, quæ *thorace mutico* inscribitur, sunt collocata, tamen Synonymiam allatam esse veram, jure arbitramur.

5. *C. agathinus* thorace brevissime spinoso, testaceo-virescens, abdominis margine albo-nigroque-variegato; sterno carinato.

Cimex agathinus Fabr. Rhyng. 170. 82. Ent. Syst. 4. 114. 13. (*C. achatinus* Wolff. Cim. 2. 58, t. 6. f.

55 verus). *Cimex griseus* Linn. Fn. 926. et Fabr. Rhyng. 171. 87 *C. betulæ* De Geer Ins. 3. 261. 8 t. 14 f. 9.

Mas & *Fem.* Habitat in Vestrogothia; D. Gyllenhal — *Corpus* (exsiccati) subtus subvirescens seu pallide testaceum: pectore impresso-nigro-punctato spiraculisque nigris; supra griseo- seu testaceo- virescens, impresso-nigro-punctatum: *Scutello* antice fusciori. *Abdominis* dorsum nigrum: margine pallido, nigro maculato. *Antennæ* et *pedes* pallida: tibiis subpilosis. *Thoracis* anguli postici spinas formant modo brevissimas. Membrana elytrorum vel albida vel infuscata. *Sternum* carinatum.

Var. β membrana elytrorum thoraceque immaculatis.

Cimex interstinctus Linn. Fn. 927. Fabr. Ent. Syst. et Rhyng. 171. 88. Sæpe *Mas* hujus speciei.

Var. γ supra fuscior; antennis totis nigris et membrana late fusco-maculata. Mas exsiccatus, forsitan nondum copulatus?

Not. Pictura et color dorsalis specierum 3 antecedentium, in omnibus iisque plurimis individuis a nobis lustratis, constantiorem certe præbet notam.

6 C *punctatus* thorace subspinoso, æneo-fuscus: abdominis margine variegato, annulo tibiarum albo.

Cimex punctatus Fabr. Rhyng. 157. 12. Ent. Syst. 4. 95. 62. Linn. Syst. et Fn. 924. De Geer Ins. 3. 269. 14.

Mas et *Fem.* Habitat passim. In Vestrogothia D. Gyllenhal. Magnitudo præcedentis — *Corpus* (ex-

siccati) æneo-fusco-nebulosum, impresso-punctatum: pectore apiceque scutelli pallidioribus. *Abdomen* supra nigrum: margine albo-nigroque variegatum, subtus vel pallescens, vel fuscum: pectore pallido. Membrana et alæ æneo-fusca. *Pedes* nebulosi: tibiis albo-annulatis. *Sternum* carinatum nullum. *Genitalia* priorum. Spinæ thoracis brevissimæ, nec nisi anguli parum exserti.

Var. β *Mas* supra obscure æneo-cærulescens. E Finnlandia D. SAHLBERG.

* * *Thorace aurito.*

7 C. *rufipes* thorace aurito, ferrugineo-fuscus: scutelli apice pedibusque rufis.

Cimex rufipes FABR. Ent. Syst. et Rhyng. 156. 5. LINN. Fn. 922. DE GEER Ins. 3. 253. 2. WOLFF. Cim. 1. 9. t. 1. f. 9.

MAS & FEM. Habitat in Vermelandia, in Scania alibique; in truncis arborum Esperöd, æstate media, ambulans, in copula multoties observata. *Larva* in foliis arbustorum obvia; inter nostrates magna — *Corpus* supra ferrugineo-fuscum, paullo ænescens, confertim impresso-punctatum; subtus lutescens, punctis nigris minutis adspersum, spiraculis fuscis. *Scutellum* rugose-punctatum, apice rufum; membrana elytrorum fuscescente. Margo *abdominis* rufescens, maculis atris binatis alternans. Spinæ thoracis obtusæ s. auriculatæ, nigriores. *Antennæ* et *pedes* rufa, rarius infuscata.

8 C. *luridus* thorace aurito, viridi-grisescens: thoracis margine antico denticulato, antennis pedibusque variegatis.

Cimex luridus FABR. Ent. Syst. et Rhyng. 157.

6. Wolff Cim. 4 136. t. 13 f. 130. Panz Fn. 92. t. 9.

Fem. In Svecia a DD. Gyllenhal & Zetterstedt. Magnitudo *Cim. baccarum. Corpus* (exsiccati) griseo-testaceum l. subvirescens, antice magis æneseens, subtus et supra subtiliter nigro-punctatum. Antennæ nigræ: basi, annuloque articuli quarti, sæpissime luteis. *Caput* nigrum, planiusculum, antice obtusum, distincte emarginatum. Thoracis margo niger, antice denticulatus, postice breviter auriculatus. Apex *scutelli* immaculatus, an semper? Membrana elytrorum æneo-grisea. *Abdomen* supra cæruleo-atrum: margine luteo-guttato, subtus subvirescens: pedibus concoloribus, impresso-nigro-punctctis, leviter pilosis.

Mas.

Not. Margo thoracis denticulatus hanc speciem ab omnibus nostris mox distinguit.

9 *C. nigricornis* thorace breviter aurito, subferrugineus: auriculis antennisque nigris.

Cimex nigricornis Fabr. Ent. Syst. et Rhyng. 157. 18. *C. purpureipennis* De Geer Ins. 3. 258. 5. t. 13 f. 15.

Mas & Fem. In Westrogothia D. Gyllenhal; in Finlandia D. Sahlberg. *Cim. baccarum* vix major. Supra subferrugineus s. testaceo-grisescens, impresso-nigro-punctatus, subtus concolor. *Antennæ* nigræ. Spinæ thoracis breves, s. parum exsertæ, nigræ. *Scutelli* apex flavescens. *Abdomen* supra nigrum: margine pallide punctato. *Pedes* pallidi. Ungues nigri. Color capitis variat.

Var. β Supra læte ferrugineus, antennis auribusque nigris.

* * * *Thorace submutico.*

10 C. *prasinus* viridis immaculatus: antennarum articulo ultimo apice fusco.

Cimex prasinus Fabr. Ent. Syst. et Rhyng. 166 58. Linn. Fn. 931. De Geer Ins. 3. 266. 9.

Mas & Fem. Habitat in Vestro- et Ostrogothia: D. Zetterstedt, in Scania nobis nondum obvius. *Cim. juniperino* parum major. — *Corpus* supra viride, subtiliter dense impresso-punctatum: thoracis margine extimo elytrorumque, subrufescente; subtus (in exsiccatis) testaceo-rufescens, impunctatum. *Scutellum* unicolor. *Antennæ* (articulo ultimo excepto) et *pedes* virescentes.

11 C. *juniperinus* viridis: margine undique apiceque scutelli flavis.

Cimex Fabr. Ent. Syst. & Rhyng. 167. 60. Linn. Fn. 930. De Geer Ins. 3 t. 13 f. 1. 2. Panz. Fn. 33. t. 16.

Mas & Fem. Habitat ubique frequens in Juniperitis. — *Corpus* totum viride, supra subtilissime punctatissimum, modo margo extimus thoracis, baseos elytrorum abdominisque albo-flavescens, et apex scutelli albicans. Tibiæ (et antennæ?) pilosæ.

12 C. *dumosus* obscurus; linea dorsali, punctis 2 scutelli annuloque tibiarum rufis pallidisve.

Cimex dumosus Fabr. Ent. Syst. & Rhyng. 168. 7. Linn. Fn. 929. Panz. Fn. 33. t. 10.

Fem. Species in Svecia forsitan rarior, a nobis nondum lecta — Specimen unicum, exsiccatum, Cim. baccarum vix majus — *Corpus* supra griseum,: capite thoracisque antico nigris; linea media pallida præditis. Margo præterea thoracis extimus elytrorumque pallidus. *Thorax* impresso-nigro-punctatus, punctis haud crebris. Scutellum autem et elytra punctis confertis impressa. Puncta 2 oblonga scutelli et linea media, pallida. Membrana æneo-fusca. Abdomen nigrum, in summo margine pallidum. *Antennæ* nigræ. Pedes nigri: tibiarum annulo latiori pallido.

Mas.

Not. Pictura rufa Fabr. in nostro specimine pallida est.

13 *C. baccarum* supra rufescens, antennarum annulis scutellique apice albis; abdominis margine albo: maculis binatis nigris.

Cimex baccarum. Fabr. Ent Syst. & Rhyng. 172. 92. Linn. Fn. 928. De Geer Ins. 3. 254. 4. t. 14 f. 5. Panz. Fn. 33. t. 20.

Mas & Fem. Habitat in arvis cultis. Excipulo sub æstate copiosissime bis capitur, mens. Junio et Septembri. Esperöd. — *Corpus* supra impresso-nigro-punctatum, pilis rarioribus obsitum. *Antennæ* nigræ, albo-annulatæ. *Caput* fuscum s. griseum, inæquale, apice truncatum, emarginatum. *Thorax* rufescens, lineola in quibusdam dorsali pallida. *Scutellum* fusco-virescens, apice albo. *Elytra* ferruginea, subtus magis læte (etiam in exsiccatis) sanguinea: membrana sub apice scutelli macula nigra. *Alæ* nigricantes: nervo marginali sanguineo et pone medium lunula nigra. *Abdomen* supra nigrum: margine albo, maculis undique nigris bilobis. *Corpus* subtus et *pedes* griseo-virescentia, nigro-punctata et pilosa. Pedes quoque rufescunt. Articuli tarsorum et *oculi* nigri.

Not. Differentia specifica ab Auctoribus huic speciei imposita, in dubium facile inducit. Color in exsiccatis mutatur; in vivis tamen semper rufescens, elytris infra totis sanguineis. Specimina plurima inter se comparavimus. Character Generis, a Cel. FABRICIO conscriptus, cum hac Specie comparatus, emendationem facile patitur.

14 *C. vernalis* supra rufescens: antennis basi, scutello apice rufis; abdominis margine supra maculis simplicibus rufis, subtus nigris binatis.

Cimex vernalis. WOLFF. Cim. 4. 141. 135. t. 14 f. 135.

Mas & Fem. In Kinnekulle Vestrog. in *Epilobio* sat copiose lectus a D. GYLLENHAL. — *C. baccarum* vix minor. *Corpus* supra rufescens impresso-nigro-punctatum. *Antennæ* rufæ, subhirsutæ: articulis 2 ultimis nigris, basi rufis. *Caput* obscurum: fronte parum emarginata. *Abdomen* supra nigrum, in margine simpliciter nigro-maculatum; subtus pallidum, impresso-punctatum: maculis in margine bilobis, nigris. *Pedes* pallidi, nigro-punctati: tibiis villosis. Apex *scutelli* pallidus.

Not. Cave, ne hanc speciem cum *C. baccarum* confundas. Color antennarum eas mox distinguit.

15 *C. ornatus* nigro rubroque varius: capite alisque nigris: membrana elytrorum albomarginata.

Cimex ornatus FABR. Ent. Syst. & Rhyng. 172. 93, LINN. Fn. 937. WOLFF Cim. 1. 15. t. 2. f. 15. PANZ Fn. 33. t. 21.

Fem. Hanc speciem in Svecia habitantem indicat Linn. Fauna. Nobis autem non obvia fuit, nec alium coævum eam invenisse audivimus. Specimina aliquot exsiccata, speciei sequenti affinia, at ea duplo majora lustravimus. — *Corpus* nigro- et rubro- luteove variegatum, nitidum, supra impresso-punctatum. *Antennæ*, *Caput* et *pedes* nigra. Margo membranæ elytrorum albus. *Clypeus* capitis emarginatus. *Tibiæ* pubescentes.

Var. *α* rubro-varius, pectore abdominisque medio nigris: punctis lateralibus et marginalibus distinctis, thoracisque sex confluentibus nigris.

Var. *β* luteo-varius, pectore abdominisque medio nigro-maculatis; punctis lateralibus et marginalibus thoracisque sex distinctis nigris; capitis margine luteo, femoribus basi pallidis.

Mas.

16 C. *oleraceus* cæruleo-ænescens; thoracis lineola, scutelli apice elytrorumque puncto rubris albisve.

Cimex oleraceus Fabr. Ent. Syst. & Rhyng. 177. 112. Linn. Fn. 934. De Geer Ins. 3. t. 15. f. 22. Panz Fn. 32 t. 12.

Mas & Fem. Habitat et larva et imago in hortis culinaribus, in *Urtica* et in aliis plantis sæpium mense Septembri vulgatissima. *Cimice baccarum* paullo minor. — *Corpus* nitidum, variegatum, supra impresso-punctatum. *Caput* et *antennæ* obscura. Variat autem utroque in sexu, pictura vel rubra vel lutea et alba. Variat quoque uterque: scutello trimaculato. Variat denique *abdomen* subtus vel totum cærulæo-æneum, vel pallidum: maculis in medio et in margine nigris. Nota quoque speciei constans. Præ-

terea margo *thoracis*, *elytrorum*, *abdominis*que maculæ marginales simplices semper colorata. *Membrana* fusca. *Tibiæ* non spinosæ.

Var. β *Fem.* *C. annulatus* æneo virescens, obscurus: margine thoracis elytrorumque, striga media thoracis summoque scutelli apice, macula elytrorum ante membranam albis. *Abdomen* totum præter margines leviter albo-punctatos, obscure ænescens. *Membrana* antice nigra. *Antennæ* nigræ. *Pedes* nigri: tibiis posterioribus albo-annulatis.

Not. Specimen a D. Mort. Agardh in Scan. captum, *Cim oleraceo* paullo majus, magis ænescens. Desunt maculæ scutelli laterales, quæ in Var. α adsunt albæ.

17 *C. cæruleus* cæruleus immaculatus.

Cimex Fabr. Ent. Syst. & Rhyng. 178. 119. Linn. Fn. 933. De Geer Ins. 3. 268. 11. Panz. Fn. 32. t. 14.

Mas & Fem. colore similes. Habitat passim. In Vestrogothia D. Gyllenhal; in Finlandia D. Sahlberg. — *Corpus* magnitudine fere *Cim. oleracei*, supra impresso-punctatum, totum concolor: membrana elytrorum nigricante.

Var. β colore æneo-virescente.

18 *C perlatus* griseus impresso-punctatus: capite nigro, scutello utrinque puncto albo.

Cimex perlatus. Fabr. Ent. Syst. 4. 125. 177. Panz Fn. 23 f. 24. (Wolff Cim. 2. 68. t. 7. fig 65. mala) *Cimex griseus nigro-punctatus* De Geer Ins. 3. 270. 15. *Cydnus perlatus* Fabr. Rhyng. 187. 15.

Mas & Fem. Colore similes. Magnitudo præcedentis. Habitat in Kinnekulle Vestrogothiæ; D. Gyllenhal. In Finlandia; D. Sahlberg. In Scania rarior; in silva prope *Engelholm* mense Julio, et in *Esperöd*, in umbellatis — *Corpus* impresso-nigro-punctatum, supra griseum. *Caput* obscurum, in medio lineolis 2 impressis notatum. *Thorax* summo margine laterali elevato, albo, lineola disci parum manifeste glabra, albida, per scutellum continuata. *Elytra* margines abdominis obtegentia: membrana pallide nervosa. *Abdomen* subtus æneo-nitens: *pectore pedibus*que pallidioribus, nigro-punctatis.

Not. Structura totius corporis hujus speciei *Generis Cimicis* est, non *Cydni*, sequenti *Æliæ acuminatæ* affinis.

5 Ælia *Corpus* ovatum: *capite* producto *thorace*que versus elytra sensim dilatatis, subtriangulatis; *pedibus* submuticis.

Genus hocce, a Cel. Fabricio fictum, frustraneum, (si Species exoticæ non aliter svadeant) et delendum judicamus. Etenim Species indigena, ex qua characterem Generis desumsit Cel. Fabricius (v. Syst. Rhyng. pag. 190) haud aliter atque Species *Cimicum* a nobis descriptæ, constructa est. Numerus articulorum in antennis quinarius, (non quaternus, uti indicat Fabr.) "Clypeus magis porrectus et canaliculatus" notam præbet haud discernibilem. Metamorphosin et victum similem esse atque in *Cimicibus*, satis exploratum novimus. Auctoritate tamen Viri celeberrimi nomen ejus genericum retinuimus, structuram scilicet capitis magis elongatam respicientes. *Obs.* Nomen Generis a Territorio Hierosolymitano *Ælia* mutuatum!! Cfr. Geogr. Büschingii T. 9. p. 332.

1 *Æ. acuminata* exalbida fusco-striata: antennis apice rufis.

Ælia acuminata. FABR. Rhyng. 189. 6. *Cimex* Ent. Syst. 4. 126. 179. LINN. Fn. 939. DE GEER Ins. 3. 271. 16. t. 14. f 12. 13. PANZ. Fn. 32. t. 17.

MAS & FEM. In Vestrogothia sat frequens D. GYLLENHAL. *Cim. agathino* vix major. — *Corpus* ovatum, antice (propter capitis productionem,) acuminatum, impresso-punctatum, nudum, in exsiccato pallidum: striga latiori dorsali fusca, a fronte versus apicem scutelli e punctis nigris ducta, per lineam mediam pallidam divisa. Striga *thoracis* lateralis et *elytra* subcoriacea impresso-nigro- punctata; margo tamen omnis pallidus *Abdomen* supra nigrum, subtus pallidum: spiraculis nigris. *Alæ* et *membrana* albida, atque in Cimice similiter nervosa. *Pedes* pilosi.

Not. Spiracula ad basin pedum in hac specie adsunt; in *Cimicibus* neque absunt.

β *Antennæ* 4- *articulatæ.*

EDESSA. (Species Peregrinæ.)

Not. Species et statura magna et pulchritudine eximias Indicas sub se comprehendit *Edessa* FABR. Non omnes tamen huic Generi insertas, a Genere *Cimice* jure meritoque fuisse divulsas, nobis est persvasissimum. Etenim insertio antennarum earumque numerus articulorum quinarius, sructura oris, clypei, thoracis, scutelli anique, armatura pedum fere nulla, directio nervorum in alis et in membrana, notas præbent utriusque Generis speciebus mere communes. — Species autem, quæ antennas habent 4-articulatas, ad Genus proprium optime sane referri possunt. In his *Edessa papillaris* FABR. cum affinibus: thorace postice longe descendente, membrana heme-

lytrorum magis furcatim et basi una serie subreticutatim nervosa, etc.

Divisio 2:da. *Corpus sæpius oblongum et supra planiusculum: scutello parvo.*

(Antennæ semper 4-articulatæ.)

α *Membrana elytrorum dense striatim nervosa.*

6 Coreus. *Corpus* oblongum: *antennarum* articulo primo valido; *thorace* triangulari, versus caput parvum valde declinato; *membrana* hemelytrorum longitudinaliter crebro nervosa.

Corpus mediæ l. parvæ magnitudinis, oblongum, supra planisculum. *Caput* parvum, obtusum: oculis globosis, exsertis. *Stemmata* 2 verticalia. *Antennæ* 4-articulatæ fractæ: articulo primo vel elongato, triquetro, vel incrassato; articulo ultimo subelevato. *Thorax* antice angustior, capite vix latior; postice dilatatus, interdum auritus. *Scutellum* triangulare, parvum, h. e. medium dorsi non attingens. *Abdomen* planum: marginibus elevatis, dilatatis. *Elytra* abdomine angustiora, intra margines elevatos incumbentia. *Os* rostro inflexo, intra tubum hiantem inserto.

Mas operculo anali integro; *Femina* operculo fisso. *Victus* in gramine agrorum sæpe sterilium.

Not. Cum hoc Genere conjungimus omnes *Lygæos* Fabr. exoticos, in quibus thorax triangularis postice elevatus et membrana hemelytrorum longitudinaliter striato-nervosa adsunt. In his: *L. tenebrosus, membranaceus, hæmorrhoidalis, indus, Koenigii* etc. Horum articulus antennarum basalis semper elonga-

tus, secundo plerumque longior; *thorax* vel spinosus vel muticus; *pedes* vel simplices vel femoribus posticis crassissimis, aut tibiis foliatis instructi. Hinc a *Corizis* et *Lygæis* proprie sic dictis, mox distingui possunt.

1 C. *marginatus* griseo-brunneus, thoracis auriculati abdominisque margine acute elevato; membrana elytrorum aureo-brunnea.

Coreus marginatus. FABR. Ent. Syst. & Rhyng. 192. 6. CIMEX Linn. Fn. 923. DE GEER Ins. 3. 272. 17.

MAS & FEM. Colore similes — In plantis agrorum demessorum, tempore autumnali passim obvius. Inter maximos Veciæ Cimices adnumerandus.— *Corpus* supra et subtus densissime subtiliter impresso-punctatum, haud pilosum, brunnescens, non nitidum. *Antennarum* articulus primus triqueter, secundus et tertius rufi, cylindrici, quartus oblongo-ovalis, obscurus. *Frons* intra antennas spinis 2 obliquis armata. Latera *thoracis* postice elevata, spinam obtusam vel potius auriculam utrinque formant. *Abdomen* supra rubrum, basi nigrum, dilatatum: marginibus elevatis, infuscatis. *Alæ* fuscæ. *Pedes* scabriusculi, brunneo-infuscati: tibiis pallidioribus.

Larva scabra: articulis antennarum omnibus trigonis.

2 C. *quadratus* griseo-flavescens, supra punctulatus fuscior: thorace obtuse spinoso; abdomine quadrato.

Coreus quadratus. FABR. Ent. Syst. & Rhyng. 199. 36. (WOLFF. Cim. 2. 70 t. 7. f. 67. "*Mas* ano obtuso; *femina* ano 6-dentato")

Mas & Fem. Rarior apud nos occurrit, in Vestrogothia et prope Stockholmiam; in Blekingia vivum legimus ipsi — Præcedente paullo minor, magis depressus, et attenuatus. — *Corpus* sordide flavescens, opacum non pilosum, subtus subtiliter impresso-punctatum, immaculatum; supra elevato-punctatum. *Antennarum* articulus primus triqueter, crassior, brunnescens, distincte elevato-punctulatus; secundus triqueter et tertius teres, æquali longitudine, angustiores, ferruginei; quartus ovalis niger, crassior. *Caput* intra antennas acutiuscule porrectum, spinula extra antennas armatum. *Thorax* postice utrinque in angulum paullo dilatatus: summo margine pallidiori. *Elytra* abdomine angustiora; membrana æneo-grisea. *Abdomen* sub alis nigro-maculatum, pone medium in angulum dilatatum; inde figuram subquadratam obtinet. *Pedes* pallidi: femoribus muticis, tibiis subspinosis.

3 *C. hirticornis* pallidus supra rufescens: thorace acute-spinoso serratoque, antennis hirtis; femoribus posticis apice spinosis.

Coreus hirticornis. Fabr. Ent. Syst. 4. 131. 17. Rhyng. 198. 31. Suppl. Mon. Cim. p. 5. (*C. denticulatus.* Wolff. 2. 71. t. 7 f. 68 ejusdem forte speciei.)

Fem. In Gottlandia a D. Wetterhall lecta, nobiscum a D. Centur. Bogeman benevole communicata — *Coreo quadrato* paullo minor; at *Cor. spinipede* major — *Antennæ* crassiores, quam in speciebus nostris affinibus, rufescentes, cylindricæ, hirsutie seu spinulis brevissimis sat confertim obtectæ: articulis tribus inferis æquali longitudine, basali tamen crassiori; ultimo conico, fusco, apice nudiusculo. *Caput* scabrum, antice pro insertione rostri in angulum parum productum, extra antennas angulatum. *Thorax* pilosus, scaber, lateribus parum exsertis, in summo margine albis, spinis brevioribus, et in lateribus et in margine postico, ad scutellum usque, pluribus al-

bis armatus. Hinc quoque anguli thoracis posteriores acute spinosi evadunt. *Hemelytra* brevissime pilosa, scabriuscula, in margine antico usque ad elevatiorem abdominis marginem subtiliter serrata: *membrana* grisescente. *Abdomen* pone medium dilatatum: marginibus rufis, submaculatis, extra elytra elevatis. *Corpus* subtus flavescens. *Pedes* scabri, pilosi: femoribus fuscis; posticis crassioribus, subtus juxta apicem albo-spinulosis. Spinulæ inprimis binæ, quarum posterior longior est; pone hanc spinulæ 3 l. 4 sensim breviores. *Tibiæ* pallidæ.

Mas.

Not. Specimen modo unicum lustravimus — Aperte differt ab omnibus nostris *Coreis*: armatura antennarum, thoracis pedumque. Præterea a *Cor. spinipede*, ad quem corporis statura proxime accedit, aperte differt: antennis crassioribus, articulis mediis æqualibus, ut & spinis pedum pluribus.

4 C. *spinipes* griseo-brunneus, supra punctulatus: thorace lateribus subelevatis albis; femoribus posticis apice unispinosis.

Coreus spinipes. Mon. Cim. Sv. 57. 3.

Mas & Fem. Colore similes. Species in Kinnekulle a D. Gyllenhal et prope Stockholmiam a D. Häffner rarissime lecta. Unicum individuum masculum in Esperöd Scan. legimus ipsi — Præcedente paullo minor. *Corpus* brunnescens. *Caput* intra antennas obtuse productum, spinula ad basin extus armatum. *Oculi* exserti. *Antennarum* articulus primus cylindricus, crassus, et ultimus oblongo-elevatus, obscure ferruginei; secundus brevior et tertius elongatus rufi. *Thorax* impresso-punctatus, postice latior, muticus: summo margine breviter elevato, albo. *Scutellum*: apice acuto albo. *Elytra* abdomine paullo angustiora, elevato-nervosa et antice imprimis elevato-

punctata: membrana grisea, nervis crebris albo-interruptis. Margo *abdominis* nebulosus. *Pedes* concolores: femoribus posticis prope apicem subtus unispinosis, tibiis submuticis.

5 *C. nubilus* cinereo-opacus: thoracis lateribus antice elevatis, albis: elytris elevato-nervosis.

Coreus nubilus. Mon. Cim. Sv. 58. 4.

Mas & Fem. *Lyg. Urticæ* paullo latior. Ad radices fruticis sub foliis exsiccatis in fine mensis Aprilis, et ineunte mense Augusto, duo specimina viva cepimus.— A *C. spinipede* vix differt, nisi thoracis latere aliter elevato, inprimisque capite extra antennas non spinula, sed tuberculo, armato. Duplo quoque fere minor est. *Corpus* cinereo-fuscum, minime nitidum, nec pilosum. *Frons* porrecta: acumine obtuso. *Antennarum* articulus primus crassus, cylindricus, fuscus; ultimus ovalis niger, apice albus; secundus brevis et tertius elongatus, rufi. Latera *thoracis* modo antice acutiuscule elevata, alba. *Abdomen* supra fuscum: margine infuscato elevato. *Elytra* nervis 2 validis instructa: membrana crebro nigro-nervosa, albo-interrupta. *Pedes* cinereo-fusci: femorum posticorum apice vix spinuloso.

7 Alydus. *Corpus* elongatum: capite magno exserto, thorace planiusculo; hemelytris angustis; membrana oblique furcatim-nervosa.

Genus hocce *Coreo* affine, mox distinguitur: *corpore* angustiori, sublineari et elongato; *capite* magno exserto, *oculis* scilicet globosis, valde prominulis, pedibus posticis longissimis: *femoribus* crassis, subtus dentatis. Huic itaque Generi inseri debent omnes *Ly-*

gæi Fabr. qui capite exserto, postice subcoarctato, elytris angustatis membranaque oblique striata, seu dense furcatim nervosa gaudet. In his: *Lyg. crassipes*.

Differentia Sexus eadem atque in *Coreis*: operculo scilicet genitalium *maris* integro, *feminæ* paullo fisso.

A *Corizis* aperte discrepant *Alydi*: corpore magis angustato, capite prominulo, postice angusto, thorace magis plano etc.

1 *A. calcaratus* fuscus: abdominis dorso sanguineo, femoribus posticis acute dentatis: tibiis rufis.

Alydus calcaratus. Fabr. Rhyng. 251. 15. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 162. 94. *Cimex* Linn. Fn. 968.

Mas et Fem. Longitudo *Lygæi equestris*, at eo angustior Apud nos Hemipteron forsitan rarissimum. Utrumque sexum e Finlandia nobiscum communicavit Cel. Sahlberg. In Esperöd Scan. quoque captus. *Corpus* fuscum, brevissime pilosum. *Caput* subtriangulare, postice pro insertione thoracis angustius, s. collo instructum. Stemmata 2 verticis. *Thorax* subquadratus, planus, nebulosus, pilosus : scutello parvo, concolore. *Elytra* brunneo-nebulosa, angustata: membrana magna, obscura, dense nervosa. *Abdomen* lineare, dorso rufum, margine rufo-maculatum, subtus æneo-nigricans. *Pedes* tenues, elongati; postici longissimi: femoribus subtus ad apicem 3-4 dentatis; tibiis anterioribus, et metatarso postico rufis. *Antennæ* nigro- et rufo-variegatæ: articulo ultimo longissimo nigro.

8. Corizus. *Corpus* oblongum: *antennarum* articulo basali brevi, ultimo subclavato; *thorace* planiusculo; hemelytris oblique truncatis: membrana longitudinaliter multinervosa.

Species hujus Generis ad *Lygæum* a Cel. Fabricio

in Ent. Syst., (ad *Coreum* in Syst. Rhyng. et a nobis in Monogr. Cim. Svec.) referuntur. Neque negamus, quin et cum *Coreis* nostris et cum *Alydibus* quandam habeant adfinitatem et similitudinem. Differunt tamen et brevitate articuli basalis antennarum et statu Larvarum diverso. Quamobrem eis adsignandum novum *Genus*, in nova methodo Hemiptera disponendi, a. 1814, proposuimus. In duas quoque abeunt sectiones. Ad *primam* adnumerantur *Corei* secundæ sectionis in Monographia Cimicum recensiti, *Alydo* sane propiores, si brevitatem articuli primi antennarum, ut et structuram pedum posticorum excipias. Oculi in his *Corizis* globosi, prominuli; hemelytra intus oblique truncata: membrana longitudinaliter sat crebro nervosa, nervis tamen tenuibus. Ad *secundam* referre voluimus *Cim. hyoscyami* Linn.: membrana densissime striata, nervis tamen genuinis vix ullis. In utraque sectione structura ani similis est, sexum externe vix discernens: at compressione inter digitos facta, erumpitur e maribus vivis corpusculum bicornutum (haud aliter atque in *Cimice baccarum*) quod feminis deest. *Stemmata* 2 verticis distincta.

Hospitium specierum in gramine.

1 C. *crassicornis* griseo-virescens subpilosus: scutelli apice rotundato; elytrorum nervis elevatis, abdominis margine nigro-maculato.

Coreus Fabr. Rhyng. 201. 46. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 168. 114. Wolff. Cim. 4. 146. t. 14. f. 140. *Cimex* Linn. Fn. 952.

Mas & Fem. Habitat in Vestrogothia; D. Gyllenhal. — *C. hyoscyami* paullo minor — *Corpus* (exsiccati) griseo-ferrugineum s. virescens, subpilosum, supra impresso-nigro-punctatum. *Thorax* immarginatus, antice ruga transversa elevata et lineola media gla-

bra instructus. *Scutellum* triangulare, apice rotundato, concolore. *Elytra* membranacea· nervis validis ferrugineis, nigro-punctatis. *Membrana* et alæ albidæ. *Abdomen* supra nigrum, margine nigro-pallidoque maculatum, maculis sæpius distinctis; subtus griseo-virescens, *pedibus* pilosis nigro-punctatis, simplicibus. *Antennæ* concolores.

Not. Color in individuis exsiccatis plerumque subtestaceus.

2 C. *capitatus* ferrugineo-griseus, pilosus, scutelli apice albo subemarginato, elytrorum nervis elevatis; abdominis margine nigromaculato.

Coreus Fabr. Rhyng. 201. 49. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 169. 112. Wolff Cim. 2. 75. t. 8. f. 72.

Mas et *Fem.* In Vestrogothia lecta a nob. D. Gyllenhal; in Scania quoque obvia, una cum specie sequente, at minus frequens — *Lyg. urticæ* magnitudine. *C. crassicorni* valde similis, at semper minor.— *Corpus* supra rufescens (in exsiccato) impresso-punctatum, pilosum. Apex *scutelli* albus, paullo emarginatus. *Elytra* antice pallida, membranacea: nervis elevatis nigro-punctatis; postice rufa: membrana et alæ albidæ, immaculatæ. *Abdomen* supra nigrum: margine pallido nigro-maculato; postice albo-maculatum. *Corpus* subtus ferrugineo-virescens s. griseum: *pedibus* pilosis nigro-punctatis. *Antennæ* colore corporis, pilosæ.

3. C. *pratensis* testaceo-virescens pilosus, scutilli apice subacuto; elytrorum nervis elevatis, abdominis margine immaculato.

Coreus magnicornis. Monogr. Cim. Sv. 59. 7.

(excluso Synonymo Fabr. Ent. Syst. et Rhyng. 200. 44?)

Mas & Fem. Habitat in pascuis et pratis siccis, prope Cimbrishamn, Esperöd alibique in Scania valde frequens. — Statura et summa præcedentis similitudo. Vix quoque differt, nisi margine abdominis pallido, nigro- non maculato, an semper? -- *Corpus* (viventis) testaceo-virescens, sparsim nigro-punctatum, in exsiccatis vel rufescens, vel pallidum vel griseum. *Antennæ* pilosæ: articulo primo crassiori, breviori, secundo et tertio subæqualibus, quarto elongato-ovali, crassiusculo, in vivis rufescente. *Oculi* nigri, valde exserti, ut in conspeciebus. *Caput*, *thorax et pectus* pallide rufa, rugose punctata, pilosa. *Thorax* antice carina transversa in omnibus, et lineola media per scutellum ducta pallidiori in quibusdam instructus. *Scutellum* apice subacutum, concolor? *Elytra* in aliis subcoriacea, in aliis membranacea, grisea, in quibusdam versus apicem ferruginea: nervis validis, plerumque nigro-punctatis. *Membrana* et *Alæ* albidæ. *Abdomen* supra nigrum: margine elevato pallido immaculato. *Corpus* subtus in *femina* semper viride, in *mare* griseo-viride e ferrugineo mixtum. Spiracula punctis elevatis notantur. *Pedes* griseo-virides, pilosi, nigro-punctati.

Not. Invitus quasi tres species antecedentes distinxi; corporis enim statura, articulatione antennarum, pilositate et superficie simillimæ sunt. Diversas tamen esse Species, forsitan vel ex eo concludere liceat, quod inter tantam utriusque sexus copiam nostri *Corizi pratensis* nullum individuum *C. crassicornis* magnitudine in Scania huc usque invenisse nobis contigit. Rarius quoque ibi occurrit *C. capitatus*. — Nullum est dubium, quin *puncta rubra, etiam in alis C. crassicornis* Linn. Fn. Sv. de *elytris* sint intelligenda.

Obs. Antennæ hujus speciei magnitudinem majorem præ reliquis minime possident. Haud igitur immerito existimamus, aliam et a nostra diversam fu-

isse speciem, a Cel. Fabricio nomine *Cor. magnicornis* insignitam, Barbariam incolentem (vide Syst. Rhyng. 200 44.) ideoque nomen specificum mutavimus.

4 *C. miriformis* oblongus virescens nudiusculus: antennis pedibusque rufis, hirsutis.

Cor. miriformis Monogr. Cim. Sv. 60. 8.

Mas & Fem. In Esperöd Scan. mense Augusto, juxta agros, sat frequens. In Vestrogothia D. Gyllenhal. — *C. pratensi* longior et paullo angustior, statura fere *Miris lævigati.* — *Antennæ* cylindricæ, rufæ, hirsutæ: articulo primo (et ultimo) nigro, breviori, crassiori. *Caput*, *thorax* et *scutellum* rufo-grisea, rugose punctata, non pilosa: linea media thoracis elevata. *Elytra* submembranacea, brevia: nervis validis, rufis; latera autem et membrana magna, nec non *alæ* albida. *Pedes* rufescentes, pilosi (in vivis pallidi) ferrugineo-punctati. *Corpus* subtus viride, vix pilosum. Dorsum abdominis nigrum: margine elevato, viridi; subtus in *mare* viridi-griseum, ferrugineo-punctatum.

Larva oblonga viridis: antennis pedibusque rufis, hirsutis; linea abdominis dorsi nigra; rudimento elytrorum rufescente.

Not. Copulatur hæc species vel ante vel post declarationem completam vel alterius vel utriusque sexus. Alatus autem rarior occurrit *C. miriformis.* — *Genitalia* similiter constructa ac in antecedentibus, nec nisi compressione viventium intra digitos facta detegitur sexus.

---

6 *C. hyoscyami* rubro nigroque varius: membrana elytrorum æneo-fusca, immaculata.

Lygæus hyoscyami. Fabr. Ent. Syst. & Rhyng.

218. 63. *Cimex* Linn. Fn. 945. De Geer Ins. 3. t. 14. f. 14. 15. Panz. Fn. 79. t. 21.

Mas & Fem. similes. Species ubique cognita, in Scania tamen minus frequenter occurrit. — *Antennarum* articulus primus crassus, brevior; ultimus oblongo-ovalis. *Corpus* subpubescens. *Pectus et abdomen* rufa, subtus triplici ordine nigro-maculata. *Thoracis* linea collaris elevata nigra. *Pedes* nigri pubescentes.— In copula sæpius hanc observavimus speciem. — Differentia sexualis, ut in prioribus. —

Not. Nos hanc conjunxisse speciem, e *Lygæis* Fabr. divulsam, cum speciebus antecedentibus, in novo *Genere* collocatis, nemini videbitur mirum, qui notas Generis a nobis propositas, sive structuram corporis, sive victum et metamorphosin spectantes, absque præjudiciis attente considerare voluerit. Vix quoque dubitamus, quin plures inter vel *Lygæos*, vel *Coreos* Fabr., denominatæ sint species, quæ notis characteristicis novi *Corizi* Generis ita respondeant, ut locus eis in eodem adsignari possit.

β Membrana hemelytrorum areolis crebris reticulata.

9 Pyrrhocoris. *Corpus* ovatum: hemelytris apice rotundatis, membrana sat crebro reticulatim nervosa.

A Congeneribus differt: structura hemelytrorum, ut & directione nervorum in *membrana* dissimili.

Novum itaque hoc introduximus *Genus* in nova methodo Hemipt. 1814. p. 9.

1 *P. Calmariensis* rubro nigroque varius: capite, thoracis macula gemina quadrata, scutello, elytrorum punctis duobus membranaque nigris.

Cimex apterus. Linn. Syst. Nat. 2. 727. 78. De

Geer Ins. 3. 276. 30. *Lygæus apterus* Fabr. Ent. Syst. 4. 161. 90. Rhyng. 227. 116. *Pyrrhocoris* Suppl. Cim. Sv. p. 6.

Mas & Fem. Habitat Calmariæ D. à Linné. Specimina alata ibidem legit D. Zetterstedt. Larva ad lapides, obscuriora quærens. Imago in *Malva* — In Scania a D. Doctore C. Sonnb. Rönbeck quoque inventa. Species tamen apud nos, nisi in Provincia Calmariensi, rarior. — *Corizo hyoscyami* vix longior, sed paullo latior. Ab hac specie et a *Lyg. equestri*, quibus statura et colore sat similis est, aperte differt: vel absentia stemmatum vel directione nervorum in membrana hemelytrorum longe diversa. *Antennæ* 4-articulatæ, nigræ, breviter pilosæ: apice articulorum rufescente. *Caput* nigrum: basi rostri rubra. *Thorax* subquadratus, postice latior, submarginatus, in medio transversim subsulcatus, ruber: macula magna subgemina nigra. *Scutellum* totum nigrum. *Elytra* rubra, vix impresso-punctata: parte interiori punctisque duobus, quorum posterius majus et rotundum, nigris. *Membrana* in mare magna, in femina brevis, sæpius nulla, (scil. in individuis haud rite explicatis) tota nigra (immaculata) crebro reticulatim nervosa: areolis scilicet reticulatis. *Pectus* rubrum: maculis utrinque 3 nigris. *Abdomen* subtus et supra nigrum: margine segmentoque juxta anum apice rubris. *Pedes* nigri: femoribus anticis in utroque sexu subcrassioribus, subtus (imprimis in masculo) brevissime denticulatis; tibiis quoque subtus spinulosis. *Mas* segmento anali aperto, genitalibus scilicet retractis (similiter atque in *Cimice*) alis et membrana completis, nigris. *Femina* segmento anali in medio rima diviso gaudet, alis et membrana rite explicatis rarius occurrens; at nondum rite explicata cum masculo copulatur. Uterque Sexus alatus in Collectione nostra adest.

Not. Prolixiorem hujus insecti historiam dedit Cl. F. Hausman in Illigers Magazin I: 1. pag. 209.

Larvam modo adultiorem descripserunt Aucto-

res. Ideoque nomen specificum mutavimus, a loco primæ inventionis desumtum. Nomen autem genericum a colore corporis, si ita placet, explicabitur.

γ *Membrana hemelytrorum longitudinaliter (interdum obsolete) 4-5 nervosa.*

10 Lygæus. *Corpus* oblongo-ovatum: *capitis clypeo* brevi, acuto; *membrana* elytrorum longitudinaliter distincte 4-5 nervosa.

Genus Cimicidum *Lygæus* in Systemate Rhyngotorum Fabr. et in Monographia Cim. Sv. sub se comprehendit numerosissimas Species, et habitu et victu valde dissimiles. Eas quoque in hac multitudine rite enucleare et investigare, difficillimum, sin frustraneum, erit opus. Faciliorem igitur invenire methodum, et inventam notis discernentibus illustrare, nostrum fuit propositum; species tamen Regnorum Septentrionalium imprimis considerare nobis contigit. Hasce quoque per duo saltim Genera distribuere, urgent et structura totius et metamorphosis diversa. Varias præterea in Genere *Lygæo* collocavit Cel. Fabricius species, quæ ad *Coreum*, *Alydum et Corizum* rectius referri debent, et hisce in Generibus citius investigari possunt.

Species, ad *Lygæum* nostrum referendæ, inter se conveniunt corporis structura simili. Etenim *antennarum* articuli quatuor; articulus primus crassus; ultimus oblongo-ovatus (nec, ut in *Phytocore*, filiformis.) *Oculi* rotundi. Stemmata nulla, nisi forsitan rudimento subtilissimo? *Thorax* planus, subquadratus. Membrana elytrorum sat distincte nervosa: nervis 4 s. 5 simplicibus, apice haud connexis, basi tantum una alterave areola minuta conjunctis. *Tibiæ* sæpius spinulosæ. Femora antica reliquis semper fere majora, et in masculis dente plerumque instructa.

Differentia Sexus facile detegitur alia et diversa, quam in Generibus hoc loco jam antea descriptis; similis tamen atque in Generibus plerisque subsequentibus. Etenim adest vagina *feminæ* sub ano elongata, quæ format quasi carinam et segmenta duo ultima secat. Hæc itaque carina longior est et distinctior, quam in feminis *Coreorum*. Ejusmodi carina deest *mari*.

Victu et *habitatione* quoque inter se conveniunt nostri *Lygæi*, paucis exceptis *Larvæ* ad radices arborum, ad lapides juxta agros in humo versantes, loca umbrosa, haud aliter atque *Imagines*, imprimis quærunt, motu celeri, at timido. *Color* etiam plerumque obscurus. Forsitan exinde derivatio Nominis generici explicari potest?

Ob numerum situmque nervorum in membrana (nota sane mox discernibili) præter alios, *Lyg. equestris*; *bilineatus*, *pulcher* FABR. cum *Lygæis* nostris conjungi debent.

* *Thorax immarginatus.*

1 *L. equestris* rubro nigroque varius: thorace antice posticeque atro; membrana elytrorum nigra albo-maculata.

Lygæus equestris. FABR. Rhyng. 217. 57. *Cimex* Linn. Fn. 946. DE GEER Ins. 3. 276. 19. PANZ. Fn. 79. t. 19. *Coreus* Monogr. Cim. 61. 10.

MAS & FEM. colore similes. In Uplandia a nobis captus, nondum autem in Scania nobis obvius. — *Coreo hyoscyami* paullo major, et *Pyrrhoc. Calmariensi* non minor. — Hisce quoque speciebus sat similis est, si colorem et picturam solum respicis. *Nimium* autem *ne crede colori.* — *Corpus* oblongo-ovatum,

rubrum, nigro-maculatum. *Antennæ pectus* et *pedes* nudi, nigra. *Abdomen* subtus quadruplici ordine, et margo ejus superior nigro-maculata, *Elytrorum* macula media et *membrana* nigra: lunula membranæ in cruce, puncto medio, margineque summo albis. Anus niger: genitalibus feminæ solummodo brevioribus, quam in reliquis nostris speciebus. Eadem quoque ani structura in affinibus observatur exoticis, quæ ad hanc *Lygæi* divisionem referri debent.

2 *L. Urticæ* æneo-griseus, elytris pedibusque pallidioribus infuscatis: abdominis margine albo-maculato.

Lygæus Urticæ Fabr. Rhyng. 231, 136. Ent. Syst. 4. 166. 106.

Mas & Fem. similes. Habitat apud nos sat frequens. Imago in floribus interdum moratur. *Lygæo pini* parum minor. Habitus *Corizi*. *Corpus* æneo-griseum, pilosum, supra impresso-nigro-punctatum. *Scutellum* apice album. *Thorax* postice et *elytra* pallidiora; postice fusco-maculata: *membrana* albida, punctis plerumque 2 nigris notata. *Pedes* albo-nigroque variegati, pilosi, femoribus omnibus simplicibus. Macula versus anum feminæ oblonga alba adest.

Nota. Hanc speciem et L. *Thymi* ad Genus *Corizum*, cum quo, habitu et structura nimis arcte conveniunt, referre vellemus, nisi obstaret directio nervorum membranæ aliena.

3 *L. Thymi* griseus: capite thoraceque rugose punctatis, elytris nervosis: lineola ante membranam nigra.

Lygæus Thymi Wolff. Cim.

Mas & Fem in collibus graminosis mense Julio

longe frequentissimus, in copula millies visus. — Habitus Generis *Corizi*, et *L. Urticæ*, at eo triplo saltim minor — *Larvæ* excipulo e gramine sæpe capiuntur. *Corpus* totum priseum, pilosum: oculis (ut in præcedente,) valde exsertis. *Thorax* in medio sæpe transversim depressus et *scutellum* interdum lineola elevata præditum. *Elytra* thoracis latitudine, vix impresso-punctata, pallide grisea vel fusco-lineata: apice (ante membranam) nigro. *Membrana* sæpius albida. *Pedes* infuscati, seu nigro-punctati.

Var. *β* elytris et membrana magis pictis, nigrolineatis.

---

4. *L. didymus* supra testaceus: thoracis linea antica impressa, puncto elytrorum discoidali didymo punctisque apicis nigris; scutello pedibusque rufescentibus.

Lyg. didymus Zett. Act. Holm. 1819. p. 71. Suppl. Mon. Cim. pag. 7.

Mas & Fem. In Ostrogothia a D. Zetterstedt; in Scania quoque una cum sequente, inter Carices pratorum Esperöd at rarior inventus. — *L. Caricis* ita similis, ut primo intuitu eandem diceres speciem. Differt tamen, et magnitudine paullo majori, impressione lineari thoracis transversa, et punctis elytrorum nigris. *Antennæ* autem similiter constructæ: articulo scilicet basali et ultimo clavato nigris. *Oculi* exserti. *Caput* et *thorax* testacea, confertissime et subtilissime punctulata, vix nisi brevissime pilosa; *thoracis* linea antica impressa, nigra. *Hemelytra* testacea: puncto gemino medio lineaque apicis 3-l. 4-punctata nigris. *Membrana* alba, inconspicue nervosa. *Scutellum* et *pedes* nudi, rufescentia. *Femora* subclavata. *Pectus* et *abdomen maris* nigricantia, *feminæ* testacea s. albovariegata.

Not. Individua exsiccata hoc loco descripsimus.

5 *L. Caricis* griseo-virescens, antennis testaceis: clava et oculis nigris: elytris lævibus immaculatis.

L. Caricis. Wolff. ?

L. claviculus. Mon. Cim. Sv. p. 64. 4.

Mas & Fem. In pratis Esperöd Scan. paludosis (*Karakås*) inter *Carices* longe frequentissimus, mense Junio et Augusto. — *Corpus* parvum, præcedente tamen parum minus, eique valde simile; nudum, subtus & supra (in vivis) virescens; *sterno* fusciori. *Caput* et *thorax* griseo-viridia, impresso-punctulata. *Antennæ* clavatæ et *pedes* testacea, mutica. *Scutelli* apex brunnescens. *Elytra* lævia, subpellucida: nervis non conspicuis, postice ante membranam paullo fusciora. Ipsa autem membrana et alæ albo-nitentia. *Corpus* in mortuis vel pallescit, vel brunnescit.

---

* * *Capite augustato, fronte subacuta: thorace sæpius marginato.*

6 *L. Pini* ater, elytris griseis nigro-punctatis: macula rhombea nigra; scutello immaculato.

Lygæus Pini Fabr. Rhyng. 229. 125. *Cimex* Linn. Fn. 956. De Geer Ins. 3. 279. 22 t. 4. f. 22.

Mas & Fem. colore similes. Habitat passim sat frequens, in gráminosis locorum sterilium, sub lapidibus et Muscis (ubi metamorphosin subeunt) in Scaniæ campis *Pinu* omnino destitutis. — *Corpus* atrum vix pilosum. *Antennarum* articulus primus crassior, brevior; cæteri æquales. *Thorax* marginatus, antice niger, postice fascia grisea nigro-punctata. *Scutellum*

opaco-nigrum, concolor. *Elytra* grisea; nigro-punctata, opaca: macula utrinque atra, sæpe albo-terminata. *Membrana* fusca l. atra, opaca: punctis interdum albis obsoletis. Maculæ fulvæ ad basin pedum. *Pedes* atri: tibiis spinosis. *Femora* antica unidentata.

7 *L. lynceus* ater; elytris griseis nigro-punctatis; macula rhombea nigra; thoracis margine exserto pallido; scutelli apice fulvo-lineato.

Lygæus lynceus Fabr. Rhyng. 231. 137. Ent. Syst. 4. 166. 107.

Mas & Fem. similes. Tanta cum *Lyg. Pini*, cum quo habitat, similitudo, ut eandem diceres speciem— Differt tamen: *thorace* magis dilatato, marginato; lateribus scilicet exsertis, pellucido-pallidis. *Scutellum* quoque nigrum: lineolis apicis 2 fulvis pictum. *Corpus* præterea *Lyg. pini* supra magis opacum, *Lyg. lyncei* sæpe nitidum. *Tibiæ* anticæ interdum rufæ. (Forsitan e larva melius satiata, ortum.) Uterque sexus, pluries lectus, in collectione nostra adest.

8 *L. pilifrons* obtuse ovatus griseus nigro-punctatus: fronte antennisque pilosis; tibiis spinulosis; membrana hemelytrorum fusca, albo-guttata.

Lyg. pilifrons Zett. Act. Holm. 1819. pag. 71. Suppl. Cim. Sv. pag. 8.

Mas & Fem. In Ottenby Ölandiæ mense Julio; D. Zetterstedt; in Esperöd Scaniæ rarior quoque captus. — *Lygæo pini* forte brevior, at latior. Supra grisescens, confertim nigro-punctatus s. nebulosus, non striatus. *Caput* triangulare: fronte porrecta, pilosa. *Antennæ* pallescentes, pilosæ: articulo ultimo

nigro. *Thorax* subquadratus, convexus, marginatus. Hemelytra thoraci et scutello concolora, nebulosa; *membrana* 5-nervosa, nigricans, crebro albo-guttata. *Pectus* et sternum nigra opaca: macula ad basin pedum albida. *Venter* obscure testaceus, irregulariter nigro-maculatus. *Pedes* pallidi, nigro-punctati: *femoribus* anticis incrassatis, subtus denticulatis; *tibiis* breviter spinosis.

Var. β Mas & Fem. duplo minor, subtus nigricans; membrana albidiori, parum nebulosa (Cfr. Act. Holm. cit.) Varietas modo junior, e larva esuriente forsitan explicata.

9 *L. litoralis* ovatus, supra griseus nigro-punctatus; antennis subpilosis, tibiis spinulosis; membrana hemelytrorum lactea; macula media baseos nigra.

Lyg. litoralis Zett. Act. Holm. cit. p. 73. Suppl. Cim. pag. 9.

Mas & Fem. Ad litus maris in villa Esperöd Scan. mense Junio unicum par copulatum legit D. Zetterstedt — Facies et magnitudo *Lyg. agrestis*. *Antennæ* similiter atque in *Lyg. pilifronte* pictæ, at minus pilosæ; frons quoque nuda. *Corpus* pallide grisescens, parce nigro-punctatum: punctis seu maculis lateralibus majoribus, magis distinctis. *Thorax* lateribus explanatis marginatus, pone medium transversim impressus; *scutellum* et *hemelytra* concolora; *membrana* alba, juxta basin macula media obscura notata. *Pectus*, *sternum* et *venter* obscura, testaceo-variegata. *Pedes* testacei: femoribus anticis incrassatis, subtus breviter denticulatis; tibiis parum spinulosis.

Not. Puncta alba (in hoc Genere sæpissime vulgaria, quasi ordinaria) ad basin pedum adsunt.

10 *L. nubilus* ater, elytris griseis nigro-punctatis; scutelli apice fulvo-lunulato; tibiis submuticis.

Lygæus nubilus Mon. Cim. 65. 6. *Cimex arenarius* Linn. Fn.?

Mas & Fem. Habitat juxta agros, et ad radices arborum, Collectori humo jacenti interdum obvius, Esperöd. – Statura *Lyg. Pini*, at duplo minor — *Antennæ* nigræ, an pilosæ? articulatione ut in *L. Pini*. *Thoracis* latera haud exserta: fascia postica *elytrisque* griseis nigro-punctatis: maculis aliquot ad apicem parvis, nigris; *membrana* albida, fusco-lineata vel tota alba. *Scutellum* nigrum: apice vel fulvo nigro-punctato vel fulvo-lunulato. *Alæ* albidæ. *Corpus* subtus atrum, ad lucem Solis sericeo-nitens, at vix pilosum. *Pedes* nigri: basi et tarsis ferrugineis. Maculæ tamen ad basin pedum fulvæ in hac specie non observantur, nec spinulæ, nisi obsoletæ, tibiarum.

Not. Præter magnitudinem semper minorem a *Lygæo Pini* differt hæc species: defectu maculæ elytrorum nigræ, tibiis vix spinosis, et defectu macularum ad basin pedum (an semper?)

L. luscus Fabr. Rhyng. 231. 133?

Not. Individuum fem. a D. Boheman ad nos missum antennis gaudet crassioribus, membrana obscuriori, ut et scutello vix fulvo-lunulato.

11 *L, nebulosus* ater: elytris et membrana nebulosis, nigro-punctatis: tibiis spinulosis, anterioribus rufo-piceis; scutelli apice fulvo-lineato.

Lygæus nebulosus Mon. Cim. 65. 7.

Mas & Fem. Habitat in Scania frequentior. Sta-

tura *Lyg. Pini* semper plus duplo minor. *Caput* & *antennæ* nigra, subpilosa. *Thorax* ater convexus, paullo marginatus: fascia postica grisea, nigro-punctata. *Scutellum* atrum: lituris apicis 2 fulvis. *Elytra* griseo-nigro-punctata, et nebuloso-maculata: maculis interdum 2 majoribus nigris; *membrana* subtilissime nebulosa. *Alæ* albo-nitentes. *Corpus* subtus atrum, supra plerumque in exsiccatis opacum, interdum nitidum, et tunc Lygæo agresti var β simillimus, at lituræ binæ flavæ scutelli adsunt. *Pedes* atri: femoribus anticis incrassatis, tibiis spinosis, anterioribus tarsisque sæpe rufis. Maculæ albæ ord. ad basin pedum.

Obs. Hæc species et subsequens in vivis opacior est, nec nitet. Post mortem autem nitens sæpe evadit humore quodam e corpore evaporato. Ejusmodi quoque evaporatio in pluribus aliis Cimicidum speciebus haud raro observatur, notasque speciei sæpe confundit.

Not. Valde affinis est *L. nubilo*, et vix differt nisi thorace ad latera magis marginato, et armatura tibiarum distinctiori.

12 *L agrestis* ater elytris fuscis nigro-punctatis, thorace marginato, scutello immaculato; antennis basi pedibusque in mare, tibiisque anticis in femina rufis.

Lygæus agrestis Monog. Cim. 66. 8. varietas.

Mas & Fem. Ad radices arborum, prope *Fontem Professoris* Esperöd alibique mense Augusto, frequens. Præcedente parum minor eique valde similis. *Corpus* ovatum. *Thorax* convexus æqualis, marginatus, s. lateribus paullo exsertis, albidis; antice niger, postice griseo-fasciatus. *Scutellum* nigrum, absque lituris fulvis. *Elytra* fusca, nigro-punctata: macula rhombea nigra, interdum nulla. *Membrana* magis minusve nigricans, albo-5 nervosa. *Abdomen* nigrum: maculis ad basin

pedum albis. *Femora* antica crassa. *Tibiæ* spinulosæ. Colore variat Sexus: *Mas* Antennarum articulo primo rufo; pedibus anticis totis, mediis quoad partem, posticis ad basin rufis. *Femina* Antennis totis nigris; tibiis anticis, interdum tarsis, rufis.

Var. *α* corpore supra opaco.

Var. *β* corpore supra nitido. (In individuis forsitan nondum copulatis ?)

13 *L. Sahlbergii* niger: thorace immarginato; antennarum articuli secundi basi tibiisque anticis rufis; fascia thoracis elytrisque griseis, nigro-punctatis.

Mas & Fem. Habitat in Scania, interdum cum præcedente, quo vix minor, thorace tamen angustiori, marginibus haud exsertis. A reliquis nostris, species omnino distincta — *Antennæ* nigræ: articulo secundo ad basin late rufo. *Antennæ* in individuis mortuis interdum totæ nigræ. *Corpus* nigrum, subnitidum. *Thorax* antice niger, in medio transversim subimpressus, postice fascia grisea, interdum obsoleta, nigro-punctata notatus. *Scutellum* vel totum nigrum, vel summo apice pallidum. Elytra grisea et magis picta, quam in speciebus antea descriptis; macula in disco ante apicem gemina nigriori, et interdum maculis minoribus nigris in ipso apice *Membrana* alba: maculis elongatis confluentibus nigris. *Pedes* nigri: femoribus anticis incrassatis. *Tibiæ* autem anticæ rufæ, reliquæ sæpius vix nisi nigræ, subspinulosæ.

Not. Specimina mascula e Smolandia misit Cl. Boheman scanicis paullo minora, magis nitida magisque picta: basi pedum imprimis pallida.

Hancce denominavimus speciem in gratam memoriam Cel. Hist. Nat. Professoris Aboensis *C. R.*

Sahlberg, qui æstate A. 1822 una cum *Filio* carissimo Ferdinando et Generos. Comite C. G. Mannerheim, Faunam et Floram assidue salutans, loca amoena saltuosa et litorea Esperöd. Scan. peragravit.

14 *L. modestus* ferrugineo-fuscus l. ater, antice scabro-punctatus: hemelytris obscuris, basi tibiisque albidis.

Fem. Præcedentibus minor, magnitudine *L. pedestris*. *Antennæ* haud pilosæ, nigræ: articulo secundo ferrugineo. *Caput* fuscum et *thorax* immarginatus, scabro-punctata. *Elytra* lævia (vix nisi in parte interiori impresso-punctata) opaca, fusca: macula ad basin albida. Membrana fusca, striga juxta basin albida. *Scutellum* atrum: rudimento interdum apicis bilineato. *Corpus* subtus atrum: punctis ad basin pedum albis apicibusque segmentorum (an semper?) albo-lineolatis. *Pedes* fusci: femoribus validis, anticis crassioribus; *tibiis*, imprimis anticis anoque albidis.

Var. α thorace magis minusve rufescente An junior? E Finnlandia a Celeb. Sahlberg sub nomine *L. Falléni* amicissime missa.

Var. β capite thoraceque atris; membranæ medio late nigro, tibiis omnibus albidis. Adultior. E Smolandia a Cl. Boheman nobiscum communicata; rarissime obvia.

Mas.

Not. Vix dubitamus, quin hæ varietates ad unam eandemque speciem sint referendæ. Ulteriorem tamen Speciei descriptionem, pluribus inter se comparatis utriusque sexus individuis a Celeb. Sahlberg avide exspectamus.

15 *L. bimaculatus* niger pilosus: thoracis postico albo bimaculato; hemelytris griseis: maculis costalibus utrinque duabus membranaque in disco nigris.

Lygæus bimaculatus Zetterst. Act. Holm. 1819 p. 73. Suppl. Cim. Sv. 1. p. 10.

Mas & Fem. In arena ad radices plantarum juxta litus *Esperöds Kås* Scan. mense Jul. et Aug. sat frequens; ad litus *Lomma*, D. Mortim. Agardh. Inter minores hujus Generis, *Lyg. pedestri* parum major. *Antennæ* pilosæ nigræ: articulo secundo vel toto vel ex parte ferrugineo. *Caput* et *thorax* pilosa, nigra, ænescentia, punctulata: thoracis postico transversim impresso, obscure nigro, maculis 2 subquadratis, interdum obsoletis, notato *Scutellum* nigricans. *Hemelytra* pallide grisea, subtilissime et lineatim nigropunctata: macula media costali gemina, et altera in apice elytri nigricantibus, quæ fascias binas, in nuper captis obscuriores, formant. *Membrana* albida: nervis et macula discoidali apicem attingente obscuris. Alæ albæ. *Corpus* subtus nigrum: punctis ad basin pedum albis. *Femora* maxima ex parte nigra nitida; antica (in utroque sexu) incrassata, subpilosa. *Tibiæ* testaceæ, spinulosæ.

16 *L. chiragra* opaco-nigricans: thorace transversim subsulcato scutelloque immaculatis; tibiis spinulosis, anticis antennarumque articulo secundo rufis.

Lyg. chiragra Fabr. Rhyng. et Ent. Syst. 4. 168. 113 mas?

Mas & Fem. In agris et juxta lapides Scaniæ alibique rarior, *L. nebuloso* interdum major et distinctus: structura thoracis magis depressa et transversim sulcata, colore quoque nigro, absque fascia postica grisea. *Corpus* nigrum, opacum, subhirsutulum.

Antennæ pilosæ,: articulo secundo rufo. *Scutellum* magnum, dimidia scilicet elytrorum longitudine. *Elytra* sæpe brunnescentia: membrana obscura, antice albo-maculata. *Pedes* nigri, spinulosi: tibiis anticis utriusque sexus ferrugineis; femoribus anticis valde incrassatis, dentatis, ad basin omnium in mare sæpe ferrugineis.

Var. β Fem. pedibus totis testaceis. Nuper exclusa?

17 *L. silvaticus* opaco-nigricans supra impresso-punctatus: thorace transversim subsulcato scutelloque nigris; pedibus unicoloribus submuticis.

Lyg. silvaticus FABR. Rhyng. 229. 126 ENT. Syst. 4. 163. 98. *ater elytris fuscis*!!

MAS & FEM. Juxta agros cum præcedente cohabitans, sat frequens, eique affinis, at paullo minor— *Corpus* nigrum, (in junioribus l. nuper exclusis subtestaceum) vix pilosum. *Antennæ* solum pilosæ, nigræ. *Thorax* similiter atque in *L. chiragra* constructus. *Scutellum* triangulare, nigrum, longitudine quartæ partis elytrorum. *Elytra* sæpe griseo-brunnea, impresso-punctata: macula media obsoleta. *Alæ* albæ. *Membrana* vel alba vel fusca. *Pedes* vel fusci vel testacei, vix spinosi: femoribus anticis incrassatis, submuticis. Maculæ ad basin pedum vix ullæ.

Not. A *L. chiragra* differt: corpore vix piloso, spinulis tibiarum vix manifestis, et scutello minori.

18 *L. plebejus* ater opacus impunctatus: thorace transversim depresso; elytris brunneis, tibiis pilosis ferrugineis.

L. Silvestris PANZ. FN. Germ.?

MAS & FEM. Habitat in Scania et in Ostrogothia

rarior, *L. chiragræ* magnitudine. Supra opacus, impunctatus. *Antennæ* vix pilosæ. *Thorax* ater subpilosus, postice transversim depressus, submarginatus. *Scutellum* nigrum. *Elytra* fusco-brunnea opaca, impunctata: membrana nigricante: lunula antica alba. *Alæ* cærulescentes. *Corpus* subtus atrum: pectore opaco, abdomine nitido. *Pedes* atri: maculis ad basin ferrugineis, interdum vix ullis. *Femora* antica valde incrassata, bidentata. *Tibiæ* pilosæ, nec spinosæ, ferrugineæ.

19 *L. erraticus* ater thorace transversim depresso: fascia postica elytrisque testaceis: apice fuscis; membrana nigricante: puncto albo.

Lygæus erraticus Fabr. Rhyng. 232. 139. Ent. Syst. 4. 167. 109.

Mas & Fem. similes. In Svecia passim, mense Majo et Septembri obvius. *L. plebejo* paullo longior.— *Caput*, antennæ, *thorax* antice, scutellum, *pectus* et *abdomen* nigra, haud pilosa. Margo *thoracis* paullo elevatus, pallidus; fascia autem postica et *elytra* antice pallidiora et seriatim impresso-punctata: postice magis testacea; puncto medio minuto nigro. *Membrana*, nigricans: puncto nervisque ad apicem albis. *Pedes* ferruginei: tibiis submuticis. *Femora* antica incrassata. Adsunt maculæ fulvæ ad basin pedum. *Alæ* cærulescunt.

20 *L. Rolandri* ater opacus: elytrorum membrana macula rhombea flava.

Lygæus Fabr. Rhyng. 230. 127. *Cimex* Linn. Fn. 957. De Geer Ins. 3. 294. 84.

Mas & Fem. Præcedente paullo robustior, inter

Lygæos Sveciæ forsitan rarissimus; tamen in Esperöd visus. Utrumque sexum, licet exsiccatum lustravimus. — *Corpus* opaco-atrum: *thorace* subquadrato, æquali, (haud depresso) *Membranæ* macula flava magna. *Femora* antica reliquis paullo crassiora. *Tibiæ* subspinosæ. *Alæ* fuscæ. Maculæ ad basin pedum nullæ?

21 *L. Abietis* obscure ferrugineus: capite thoracis antico scutelloque nigris; corpore depresso dilatato.

Capsus Abietis Fabr. Rhyng. 245. 23. *Cimex ferrugineus* Linn. Syst. Nat. 730. 99.

Mas & Fem. Habitat in Ostrogothia D. Dahlbom; in abietibus passim. *Corpus* depressum, planum, in medio posteriora versus dilatatum, nudum, obscure ferrugineum. *Thoracis* fascia postica et *elytra* opaco-ferruginea vix punctata: membrana concolore. *Pectus* nigricans. *Pedes* ferruginei nudi: femoribus anticis crassis, dentatis.

Var. β. Mas & Fem. elytris subtestaceis: lunula versus crucem nigricante.

Miris Abietis Fabr. Rhyng. 256. 16. *Cimex* Linn. Fn. 969.

Not. Hæ varietates inter se in omni structura conveniunt, nec nisi abdominis statura latiori a reliquis *Lygæis* discrepant.

22 *L. silvestris* ater, thorace concolore immarginato transversim sulcato; elytris pallidis: macula media et postica nigris.

Cimex silvestris Linn. Fn. 965. *Lyg.* Fabr. Rhyng. 232. 138.

Mas & Fem. Habitat in Scania et alibi passim, minus frequens. *Antennæ* pallidæ, versus apicem nigræ. *Corpus* atrum, opacum, antice subpilosum. *Caput* thoracis latitudine: oculis exsertis. *Thorax* immarginatus, subteres, antice angustior, pone medium transversim depressus, margine postico interdum rufescente. *Elytra* albo-testacea, in medio vel nigro-brunnea vel macula majori, et in apice puncto nigro notata: *membrana* albo- et fusco-varia. *Pedes* testacei: femoribus anticis incrassatis nigris, dentatis, reliquis sæpe ad partem nigris, tibiis subspinosis.

Not. L. podagrico duplo fere major, cui, præter structuram thoracis, sat similis.

23 *L. sabuleti* elongatus ater opacus: elytris luteo-griseis et membrana alba brunneo-striatis.

Lyg. sabuleti Suppl. Cim. pag. 9.

Mas et Fem. In campis arenariis Hallandiæ prope urbem Halmstad, a nobil. D. Gyllenhal copiose lectus. In arvis editioribus Scaniæ quoque visus.

Lygæo erratico non longior, at angustior. — *Corpus* opaco-atrum, elongatum. *Antennæ* nigræ, subpubescentes, longitudine capitis, thoracis scutellique. *Caput*, *thorax* et *scutellum* opaco-atra, subtiliter scabro-punctata. *Thorax* subquadratus, antice paullo angustior, immarginatus: margine postico non late lutescente. *Elytra* brevia, opaco-luteo-grisescentia, striis 3 vel 4 apice conjunctis, fusco-brunneis notata. Membrana albida, paullo infuscata: nervis 4 distinctis brunneis. *Abdomen* subsericeum, immaculatum. *Pedes* breves, lutei: femoribus in medio nigris, anticis paullo crassis; tibiis subtilissime spinulosis. *Alæ* albæ, rarius completæ, sæpius nullæ.

Not. Copulatio individuorum utriusque sexus,

ante explicationem elytrorum perfectam, membrana adhuc deficiente, frequenter observata.

24. *L. podagricus* ater: thorace marginato, postice brunneo; elytris albidis: punctis in medio et macula postica nigris.

Lygæus podagricus Fabr. Rhyng. 232. 142. Ent. Syst. 4. 167. 111? Mon. Cim. 70. 16.

Mas & Fem. Colore similes; juxta agros et radices arborum passim. — *L. silvestri* non major, at sæpius duplo minor. — *Corpus* atrum opacum nudiusculum: *abdomine* nitido. *Thorax* ater: lateribus attenuatis albis; postice transversim depressus et brunneus: *scutello* atro. *Elytra* antice albida: punctis in medio minutis transversis, et macula versus apicem, nigris; membrana infuscata. *Antennæ* et *pedes* vel testacea vel fusca. *Femora* antica valde incrassata, sæpe fusca; *tibiæ* submuticæ.

Var. β. Fem. atra subpubescens, nitida,: antennarum articulo 2 et 3 pedibusque pallidis, elytris brunneis; membrana nulla. *Caput* nigrum: antennis validis pallidis, basi articuloque ultimo nigris. *Thorax* totus niger, postice transversim depressus, æquali fere latitudine. *Elytra* obscure brunnea, margine pallidiora. *Pedes* toti pallidi. *Femora* antica incrassata, subtus unidentata. — Individuum unicum, quod lustravimus, in Esperöd Scan. mense Augusto captum, nondum perfecte explicatum, ad *L. podagricum* propius accedere videtur; ulteriori tamen examini specimina viva subjici debent. *Antennæ* breviores, vallidiores,: articulo ultimo crassiori; *thorax* totus niger, et *elytra* impicta individuum hocce a *L. podagrico* rite explicato imprimis distinguunt. An igitur hujus speciei?

Not. A *L. silvestri* optime dignoscitur *L. podagricus*: thorace marginato; nam pictura et color ely-

trorum utraque in specie sat similis. Forte *L. podagricus* Fabr. qui major est, ad aliam pertinet speciem? An. L. quadratus Fabr? Jam antea monitum ivimus, species omnes hujus Generis femoribus anticis incrassatis, sæpissime dentatis esse instructas, ideoque notam specificam a structura pedum desumtam in hoc Genere non esse adhibendam. *Antennarum* articulus ultimus plerumque nigricans.

25. *L. rusticus* ater opacus, supra impresso-punctatus; elytris coriaceis immaculatis; pedibus piceis muticis.

Lyg. rusticus Mon. Cim. pag. 70. 17.

Mas & Fem. Mense Septembri juxta agros Esperöd frequens, inter minores hujus Generis, præcedente brevior. — *Corpus* viventis atrum, non nitidum. *Antennæ* piceæ, pubescentes: articulo ultimo crassiori, fusco. *Caput* thoracis latitudine: *oculis* valde exsertis. *Elytra* coriacea, impresso-punctata, fusca immaculata: membrana nebulosa. *Pedes* picei: tibiis muticis.

Var. α Major, rudimento alarum et membranæ; in copula sæpe obvia.

Var. β Minor, alis in utroque sexu completis albis, et membrana fusco-striata; species vix diversa, post mortem pallidior.

26. *L. pedestris* ater nitidus, elytris brunnescentibus; antennis pedibusque luteis.

Lyg. pedestris Mon. Cim. 71. 18.

Mas & Fem. Habitat sat frequens cum præcedente, cui affinis, at eo paullo minor. *Corpus* viventis atrum supra nitidum, subpilosum, impresso-punctatum. *Antennæ* luteæ, vix pubescentes: articulo ulti-

mo nigro. *Elytra* brunnea, postice infuscata: membrana albida fusco-lineata. *Pedes* toti lutei, vix spinulosi — A *Lyg. rustico* satis distinctus.

27 *L. pusillus* ater opacus; thorace tuberculato; elytris angustatis, basi albis; pedibus ferrugineis.

Monogr. Cim. Svec. 71. 19.

MAS & FEM. Habitat in Vestrogothia, tempore veris, ad paludes silvaticas et supra aquam agitata currens. D. GYLLENHAL. — Species omnino distincta magnitudine vix pulicis, ab hoc genere, staturæ respectu paullo diversa, at simili genitalium structura. — *Corpus* nigrum opacum, sericeo-pubescens. *Antennæ* longiusculæ, subfuscæ. *Thorax* immarginatus, planiusculus, antice capitis latitudine, postice latior: tuberculo utrinque in humero. *Elytra* plana, angustata, antice alba,: *membrana* magna nigricante, punctis aliquot albis notata. *Abdomen* subtus convexum: pedibus totis ferrugineis, nudis, femoribus anticis paullo crassioribus.

Not. Marem in collectione Dom. ZETTERSTEDT vidimus.

---

11. ANTHOCORIS *Corpus* ovatum planiusculum: *capite* angustato, fronte producta. *Antennæ* filiformes: articulo secundo elongato. *Membrana* hemelytrorum obsolete longitudinaliter nervosa.

Corpus parvum, inter *Cimicides* minutum, depressiusculum, ovatum. *Caput* thorace angustius, intra antennas productum, apice truncatum, (in *Lygæis* acutiusculum) una cum thorace transversim sulcato

triangulum formans. *Antennæ* filiformes capite thoraceque vix longiores, 4-articulatæ: articulo secundo longiori. *Pedes* simplices,: tibiis (an semper?) spinulosis.

Hujus species cum *Lygæis* conveniunt: directione nervorum in membrana (licet obsoletiori, et in individuis minimis vix ulla) ut et structura genitalium. At differunt: structura capitis pedumque, ut et habitatione diversa. *Hospitantur* in foliis præsertim in arbustis et in floribus; inde quoque nomen Generis desumsimus.

1 *A. nemorum* niger nitidus, antennis, elytris, pedibusque pallescentibus, puncto elytrorum nigro.

Cimex nemorum Linn. Fn. Sv. 953.

Mas & Fem. Habitat in arbustis, floribus et in gramine valde frequens, Faciem *Lyg. abietis*, uti voluit Nobil. a Linné habet, at magnitudinem minorem. *Corpus* nigrum, nitidum, nudum oblongum parvum. *Antennæ* capite thoraceque paullo longiores: articulo ultimo nigro. *Thorax* antice angustior, in medio transversim subsulcatus. *Elytra* antice albida seu pallida: puncto medio nigro, (in mortuis evanescente) apice nigricante: membrana in vivis macula nigra notatur; in exsiccatis vix maculata, alba. *Alæ* metallice nitent. *Pedes* pallidi, s. lutescentes: *femoribus* interdum vel totis, vel apice nigris. — *Larvam* exuvias deponentem in *Humulo lupulo*, mense Septemb. aliamque sub cortice arboris emortuæ larvam, huic non dissimilem, hibernantem observavimus.

Var. β duplo minor et ultra; corpore testaceo: nuper exclusa?

Not. Ad hanc speciem ut varietates verisimiliter referri debent: *Salda silvestris* Fabr. (non Linn.)

S. campestris, *Serratulæ* et *pratensis*, ut et *Lygæus fasciatus* Fabr. Rhyng; quæ omnes in Fabr. Entom. syst. ad Genus *Acanthiam* pertinent. Colorem autem harum varietatum diversum in descriptione nostra jam indicavimus.

2 *A. nemoralis* niger, elytris antice brunneis postice fuscis: puncto costali pellucido; pedibus vel nigris vel luteis.

Salda nemoralis Fabr. Rhyng. 116. 15. *Acanthia* Ent. Syst. 4. 76. 35. *Lygæus nemorum var.* γ. Mon. Cim. 72. *Cimex gallarum Ulmi* De Geer Ins. 3. 279. 23. *Lygæus austriacus* Fabr. Rhyng. 239. 181. verisimiliter ejusdem Speciei?

Mas & Fem. Habitat sat frequens cum antecedente, cui valde similis, colore et proportione antennarum exceptis. *Caput* et *thorax* nigra nitida. *Antennæ* sæpius nigræ, thorace fere breviores, et antennis *A. nemorum* paullo robustiores, adeo ut eam ob causam ad species diversas jure referantur. Differunt quoque colore hemelytrorum, que anticæ sunt pallide brunnea, postice magis fusca: puncto ad costam pallide pellucido. *Membrana* macula magna nigricante ad apicem notatur. *Pedes* vel toti lutei, vel nigri: tibiis interdum luteis.

Var. β duplo minor et ultra; corpore (exsiccato) vel toto vel ex parte testaceo s. brunneo; elytris plerumque pallidis postice infuscatis, pedibus pallidis. Individua scilicet nuper exclusa?

3 *A. lucorum* nigricans, elytris testaceis immaculatis: membrana albida.

Lygæus pygmæus Mon. Cim. 73. 21. varietas nigra, nitida hujus Speciei.

Fem. In Vestrogothia inventa a D. Gyllenhal. Præcedentibus valde affinis, at paullo minor: corpore scilicet breviori et magis ovato. *Caput* et *thorax* transversim sulcatus vel fusca, vel nigra, nitida. *Antennæ* basi, *elytra* tota et *tibiæ* testacea. *Membrana* vel immaculata, vel fusco-punctata: punctis minutis, in exsiccato vix conspicuis.

Mas.

4 *A. fruticum* nigricans, elytris vel testaceis vel fuscis; tibiis pallidis; membrana albicante.

Lygæus minutus Mon. Cim. 73. 22 (alter sexus e specimine exsiccato descriptus) *Cimex* Linn. Fn. 941.

Mas & Fem. Habitat in Vestrogothia; D. Gyllenhal; in fruticibus Esperöd. mense Aug. et Sept. sat frequens — Pulice vix major, et præcedente minor. *Corpus* nigrum, nitidum. *Antennæ* et *pedes* testacea s. albida: femoribus plerumque nigris. *Thorax* transversim subsulcatus? *Elytra* hyalina, apice exteriori infuscata. Species vere distincta.

Var. β elytris et membrana nigredine magis tinctis.

Not. Cave ne hanc cum *Phytocore Filicis* confundas.

5 *A. exilis* brunneo-nigricans: thorace antice transversim rugoso; elytris hyalinis: membrana nigricante.

Lygæus exilis Mon. Cim. 73. 23. varietas.

Mas & Fem similes. Habitat cum *A. fruticum*. — Magnitudo pediculi dimidia. *Corpus* nigrum s. brun-

neum, *abdomine* viventis juxta basin ferrugineo. *Thorax* rugis distinctis, transversis antice notatur. *Elytra* fusca pellucida: nervo marginali validiori, punctoque ante membranam obscuriori. *Membrana* et *alæ* metallice nitent. *Pedes* nigri.

Not. Excipulo capitur in gramine sub fruticibus Esperöd; at propter exiguitatem et agilitatem facile effugit. Inventus quoque sub cortice arborum emortuarum Westrogoth. a nob. D. Gyllenhal.

6 *A. cursitans* brunneo-nigricans, thorace lævi; elytris pallidis apice fuscis; membrana magna immaculata, femoribus validis.

Lygæus Mon Cim. 74. 24.

Mas in Vestrogothia invent. a D. Gyllenhal. *A. exili* fere minor. — *Corpus* minutum (exsiccati) testaceum: thorace vix sulcato. *Antennarum* articulus secundus crassior. *Elytrorum* membrana alba. *Pedes* picei: femoribus omnibus crassis.

Fem.

A? coleoptrata Zetterst. Acta Holm. 1819. p. 74. 24. ad novum Genus, uti voluit Celeb. Inventor, pone *Tinges* melius est referenda.

---

12 Geocoris *Corpus* subquadratum; capite dilatato; *Antennæ* filiformes; *membrana hemelytrorum* rudimento quatuor nervorum simplicium.

Corpus parvum oblongo-quadratum. *Caput* thorace fere latius, oculis scilicet valde prominulis. *Thorax* immarginatus antice posticeque æqualem habet latitudinem. *Elytra* coriacea: membrana aut enervi

aut rudimento 4 nervorum longitudinalium. *Pedes* simplices. *Genitalia* utriusque sexus, ut in *Lygæis* constructa.

Hospitium in humo sub fruticibus, rarius in floribus. *Species* hujus Generis: statura corporis subquadrata elytrisque coriaceis, ab omnibus aliis Cimicidibus facile dignoscuntur.

1 *G. grylloides* nigra, thoracis elytrorumque marginibus albis.

Lygæus Mon. Cim. 63. 1. *Cimex* Linn. Fn. 910. *Acanthia* Fabr. Ent. Syst. 4. 69. 6. *Salda* Fabr. Rhyng. 115. 7. Latr. Familles du Regne Animal. p. 422. Paris 1825.

Mas & Fem. similes. Habitatio in pratis passim, mense Julio. *Corpus* apterum (an semper?) nigrum nitidum, supra planiusculum, impresso-punctatum. *Elytra* coriacea, abdomine breviora: membrana vix ulla. *Antennæ* subpilosæ lineares. *Pedes* pallidi. *Lygæo leucocephalo* sæpe minor.

2 *G. albipennis* nigra, thorace immaculato; elytris pallidis.

Salda albipennis Fabr. Rhyng. 114. 5.

Mas & Fem. In graminosis Höberg Vestrog. D. Gyllenhal. In Scania non frequens. — *G. grylloide* duplo minor, ejusdem autem structuræ. *Corpus* nigrum, nitidum, supra impresso-punctulatum. *Thorax* quadratus, immarginatus, niger, immaculatus: scutello nigro. *Elytra* sordide albida s. pallide brunnea: membrana albidiori. *Pedes* lutei: femoribus in femina nigris, genubus tibiisque pallescentibus vix spinulosis. Puncta ad basin pedum albicant.

3 *G. atra* nigra: thoracis linea dorsali alba.

Salda atra Fabr. Rhyng. 114. 4. *Acanthia* Ent. Syst. 4. 68. 4. Wolff. Cim.

Mas & Fem. Habitat in Finlandia; D Sahlberg — *G. albipenni* valde similis. præter magnitudinem paullo minorem, coloremque paullo diversum. *Corpus* nigrum nitidum, supra impresso-punctulatum. *Thorax* quadratus, immarginatus, niger: linea media longitudinali glabra, albida. *Scutellum* et *elytra* nigra: membrana hyalina, colore non tincta. *Pedes* nigri, vix nisi nudi: genubus albidis.

Not. Alæ in hoc Genere non explicatæ. An semper?

---

13 Salda *Antennæ* filiformes. *Corpus* ovatum: capite angusto, thorace mutico, hemelytris convexis: *membranæ* nervis quatuor ante apicem connexis.

Corpus obtuse ovatum, convexum, crassiusculum, subpilosum. *Antennæ* mediocres, filiformes. *Caput* parvum: oculis valde exsertis. *Thorax* muticus postice latior. *Elytra* sæpissime fornicata, obtegentia: *membrana* nervis distinctis quatuor, in apice connexis instructa. *Pedes* simplices, tenues: tibiis subspinosis. *Genitalia* feminæ aliter ac in *Lygæis* constructa, in exsiccatis individuis haud facile discernibilia.

Species hujus generis et structura et vivendi ratione similes, ad aquas et in pratis humidis vitam degunt, aliis insectis potius victitantes. *Motus* cursorius.

1 *S. litoralis* nigra, elytris coriaceis convexioribus, in medio longitudinaliter albo-guttatis.

Cimex litoralis Linn. Fn. 915. De Geer Ins. 3.

278. 21. tab. 14. f. 17. *Acanthia Zosteræ* FABR. Ent. Syst. 4. 68. 2. *Salda* Rhyng. 131. 1. *Acanthia* Latr. Familles du Regne Animal p. 423.

MAS & FEM. similes. Ad aquas ubique frequens, velocissime cursitans. — *Corpus* orbiculato-ovale sordide nigrum. *Antennæ* pilosæ. *Thorax* antice angustior, pro receptione capitis parvi, formam triangularem fere referens. *Elytra* convexa, abdomen tegentia, in medio guttis longitudinalibus et in apice submembranaceo lineolis 3 l. 4 albo-diaphanis notata. *Alæ* elytris breviores. *Pedes* plerumque pallidi: tibiis spinosis.

Var. β elytris nigris immaculatis: membrana nigra coriacea. Junior, nondum rite explicata.

Not. Elytra, a quibus characterem hujus Speciei desumsit D. FABRICIUS, abdomine vix longiora, guttulis diaphanis in aliis distinctis, in aliis obsoletis, et in aliis (junioribus) omnino nullis notantur. (*Salda flavipes* Fabr.?) *Pedes* vel nigri vel pallidi.

2 *S. riparia* opaco-nigra: thoracis lateribus vix rotundatis; elytris albo-guttatis, macula costali ante apicem majori alba; membrana nigro-lineata: puncto interstitiorum nigro.

Salda riparia Mon. Cim. Suppl. p. 11.

MAS & FEM. In Vestrogothia D. GYLLENHAL. — *Salda saltatoria* paullo major, eique valde affinis. Tota nigra, exceptis guttis elytrorum sparsis, macula majori ante membranam in costa, femorum basi tibiisque albis. *Membrana* similiter picta. *Alæ* completæ. *Antennæ* nigræ, versus apicem subpilosæ. *Tibiæ* spinulosæ, non pilosæ. *Corpus* vix pubescens: elytris opacioribus. Differt a *S saltatoria* et *pallipede* imprimis: thoracis lateribus vix dilatato-rotundatis.

3. *S. saltatoria* sordide nigra, elytris albo-hyalino-guttatis: membrana grisea, nigro-lineata: puncto interstitiorum nigro.

Cimex saltatorius Linn. Fn. 954. *Lygæus* Wolff. Cim. 2. 77. 74. tab. 8. f. 74. Fabr. Rhyng. 239. 184. it. *Salda litoralis* Rhyng. 115. 13. *Acanthia* Ent. Syst. 4. 72. 18. (ubi synonyma Linn. et De Geer, ad Sald. litoralem pertinentia deleri debent. Cfr. descriptiones horum Auctorum.)

Mas & Fem. Habitat passim; ad litora maris prope Kivik Scan. frequentissima; ad radices graminum in arenosis humidis cursitans et saltitans. — Statura *Saldæ litoralis*, a qua differt magnitudine duplo minori, maculis elytrorum et membrana, nec non alis — Tota atra. Oculo armato (versus lumen Solis) pilis brevissimis aureis obsita conspicitur. *Elytra* guttis sparsis hyalinis, pallidis nervisque nigris notantur. *Membrana* grisea, nigro-lineata, puncto interstitiorum nigro. *Alæ* nitentes albæ, completæ. *Pedes* plerumque pallidi: femoribus sæpe fuscis.

Not. Differt a *S. riparia*: antennis brevioribus magnitudine minori, ut et membrana obscuriori, et breviori.

4 *S. pallipes* sordide nigra, thoracis lateribus rotundatis; elytris albis: basi maculisque costalibus nigris; membrana nigro-lineata: puncto interstitiorum nigro.

Salda pallipes Fabr. Rhyng. 115. 12. *S. saltatoria var. β* Mon Cim. Sv. p. 29. 2. Suppl. Cim. pag. 12.

Mas et *Fem.* In Vestrogothia et in Scania, ad

ripas et litora cum affinibus obvia. — Statura et facies *S. saltatoriæ*, a qua differt: colore elytrorum albidiori, nec nisi eorum basis, maculæ costales et nervi nigra sunt. A *S. riparia*: structura thoracis latiori, lateribusque rotundatis aperte discrepat. A *S. pilosa*: corpore nudiusculo tibiisque mere spinulosis (haud pilosis) mox dignoscitur. *Pedes* albidi, interdum infuscati. *Alæ* albæ, completæ.

Not. Uterque sexus similem habet picturam. Pro varietate majori *S. saltatoriæ* haud rite haberi potest.

5. *S. pilosa* fusca, nitidiuscula pilosa: tibiis spinosis hirsutisque.

S. pilosa Mon. Cim. 29. 3.

Mas & Fem. Ad ora maris Bahusiæ, in insulis Oroust, et alibi lecta a D. Gyllenhal. *S. saltatoria* paullo major, thoracis margine magis exserto, elevato; tota distincte pilosa: pilis fuscis. *Elytra* fuscescentia, s. grisea, nitida: membrana nervosa. *Corpus* nigricans. *Pedes* pallidi: femoribus punctatis tibiisque spinosis et hirsutis. *Alæ* albæ, completæ.

Not. A conspeciebus jam cognitis facile dignoscitur pilositate distinctiori totius corporis. Macula obscurior in margine elytrorum postico in femina (an semper?) adest.

6 *S. lateralis* nigra, elytris punctulatis: margine antico et postico hyalino-albo.

Salda Mon Cim. Sv. 30 4.

Mas & Fem. E Vestrogothia missa a D. Gyllenhal. — Statura antecedentium, at minor, nigra nitida (abdominis apice et scutello, oculo bene armato, brevissime aureo-pilosis). *Thoracis* margo exsertus, in mare albidus. *Elytra* nigra, antice linea, postice

macula hyalino-alba in margine notata: membrana subcoriacea, infuscata, puncto albo. Frontis pectorisque lamina alba. *Pedes* albidi: tibiis spinosis. *Alæ* vix ullæ. — *Variat* Femina: elytris griseis nigro-maculatis margine albis.

7 *S. elegantula* nigra: antennarum articulo ultimo, elytrorum margine pedibusque lutescentibus.

Salda Mon. Cim. Sv. 30. 5.

Mas & Fem. In Vestrogothia ad paludes pratorum, tempore vernali a nobil. Gyllenhal rarius lecta. Species pulchra et distincta, statura parva priorum; at *thorax* angustior: margine haud exserto. — *Corpus* paullo pilosum, nigrum. *Antennæ* hirsutæ: articulo primo apice et ultimo ante apicem luteo. *Rostrum* luteum. *Thorax* niger nitidus. *Elytra* obscure nigra, margine laterali toto et punctis aliquot præterea hyalino-lutescentibus, ante membranam puncto albissimo notata: membrana infuscata. *Alæ* albæ. *Frons pectus* et *abdomen* nigra, immaculata. *Pedes* lutescentes: tibiis subspinosis.

8 *S. marginalis* sordide nigra, elytris opacis aureo-pilosis: margine et membrana lutescentibus.

Salda Mon. Cim. Sv. 30. 6.

Mas & Fem. E. Finlandia a Cel. Sahlberg et e Vestrogothia a nobil. Gyllenhal ad Nos missa. — Ad speciem propriam verisimiliter pertinet, *S. Saltatoria* dimidio minor, cum qua pilosisitate et cum *S. laterali* elytrorum pictura proxime convenit. Supra sordide nigra, pilis rarioribus vestita. *Elytra* non nitida: costa luterali et macula ante membranam pellucidis, luteis. *Membrana* lutescens fusco-nervosa. *Alæ*

albæ. Subtus tota nigra nitida: femoribus basi et apice pallidis. *Tibiæ* pallidæ, subspinosæ.

Not. S. coleoptrata Mon Cim. 31. 7. ad Novum Genus Bryocoris refertur.

δ Membrana hemelytrorum præter areolam sesquialteram nervis destituta.

(Antennæ elongatæ, versus apicem attenuatæ.)

14 Phytocoris. *Antennæ* setaceæ, elongatæ. *Corpus* ovatum: *thorace* postice latiori; *nervis* membranæ elytrorum, præter areolam anticam, nullis; *tibiis* spinulosis.

Corpus sæpius oblongo-ovatum s. elongatum rarius obtusum, magnitudine mediocri et minuta. *Antennæ* corporis sæpe longitudine. Harum articulus primus secundo vix s. parum crassior, at semper paullo brevior. Articulus secundus in quibusdam speciebus versus apicem magis minusve incrassatus. Ejusmodi species, ubi clava articuli major sit et evidentior, in divisione tertia collocavimus, utpote quæ similem alioquin cum Phytocoribus structuram habent. Articulus autem tertius et ultimus ceteris tenuiores, subcapillares. *Caput* exsertum, thoracis antico fere latius, oculis scilicet globosis, prominulis. *Thorax* scutiformis, convexus, postice semper latior. *Elytra* magis minusve coriacea, sæpe hyalina. Deest in alis areola rotundata media costalis, adeo ut nervi alarum et pauciores et simpliciores sint quam in *Coreis*. *Pedes* simplices, postici longissimi: tibiis spinulosis.

Corpus in *Phytocore* molle, in *Lygæo* duriusculum. Membrana hemelytrorum longe aliter nervosa; areola scilicet in *Phytocore* vix nisi unica e basi membranæ

exiens. *Hospitio* quoque a se invicem discrepant *Lygæi* et *Phytocores*. Etenim *illi* in tenebrosis ad lapides et ad radices plantarum, *hi* in foliis fruticum herbarumque potissimum versantur. — Inde igitur, quod Clarissimo LATREILLE Genus Lygæum, specierum ditissimum, in plura genera dividere non arriserit, mirum sane videbitur.

Dispositio Specierum a colore et magnitudine desumta, facilitatem in examinando respicit.

Nomen Generis a *φυτον planta* et *κορις Cimex* derivatur. *κορις* generis communis in masculino h. l. potissimum adhibetur, adeo ut nomina specifica *Cimici* LINN. et LYGÆO FABR. imposita, similem retineant terminationem.

Sectio I. *Virescentes majores (post mortem pallescentes).*

1 *P. Chenopodii* viridis, supra aureo-pilosus: femoribus nigro-punctatis.

Lyg. Chenopodii Mon. Cim. Svec. 74. 25.

MAS & FEM. colore similes. — Habitat in *Chenopodio* aliisque plantis viaticis Scaniæ frequens. *Corpus* viventis viride: abdomine supra nigro. *Antennæ* rufescentes. *Thorax* punctis 2 nigris distantibus, plerumque obsoletis, seu vix ullis. *Scutellum* et apex elytrorum pallidiora sunt: *membrana* nigricante. *Alæ* metallice nitent. *Pedes* virides: femoribus subtiliter nigro-punctatis, tibiis spinosis. *Mas* scutello et elytris in medio longitudinaliter nigro-vittatis.

Variat punctis thoracis 4 nigris in una serie dispositis.

Lyg. 4 *punctatus* FABR. Rhyng. et Ent. Syst. 4. 172. 128.

Habitat cum præcedente, ad speciem propriam minime referenda. Magnitudo *Corizi hyoscyami* paullo angustior. Differt hæc species a subsequente: superficie aureo-pilosa, pilis rarioribus, faciliter divellendis.

2 *P. 2-punctatus* viridis, supra nigro-pilosus: thoracis disco punctis 2 nigris; femoribus immaculatis.

Lyg. 2 *punctatus* Fabr. Rhyng & Ent. Syst. 4. 172. 129. mas hujus Speciei.

Mas & Fem. similes. Habitat mense Julio cum præcedente frequens — *Corpus* viride nitidum: abdomine supra punctisque 2 thoracis approximatis minutis nigris. *Caput* (in vivis) et *thorax* antice sæpe flavescunt. *Alæ* nitentes. *Membrana* elytrorum magis minusve nigricans. *Pedes* immaculati: *tibiis* subspinosis. *Varietas* mascula elytris vel fulvo- vel ferrugineo-vittatis post mortem sæpe oritur.

3 *P. 2-notatus* viridis: thoracis maculis 2 elytrorumque vitta longitudinali nigris.

Lyg. 2-notatus Fabr. Rhyng. 233. 159. Ent. Syst. 4. 172. 130. Mon. Cim. Sv. 75. 27.

Mas & Fem. Habitat in Vestrog. D. Gyllenhal, in Scania passim, in plantis viaticis. — Magnitudo antecedentium paullo minor — *Corpus* viride. *Thorax* maculis 2 rotundis, approximatis notatur. *Elytra* virescentia, in mare sublestacea, longitudinaliter nigro-vittata. Hæc autem vitta non nisi in detritis desideratur. *Abdomen* supra nigricans. *Pedes* concolores.

4 *P. pabulinus* viridis, nudus, immaculatus; plantis nigris.

Cimex pabulinus Linn. Fn 947. De Geer Ins. 3. 293. 31. *Miris pabulinus* Fabr. Rhyng. 254. 5.

Mas & Fem. Colore similes. In gramine pratorum ubique ſrequens. *Corpus* viride: dorso abdomini concolore; glabrum, quantum in plurimis individuis observare nobis licuit, vix pilosum. *Tibiæ* spinosæ: plantis nigris. *Alæ* æneo-nitentes.

5 *P. contaminatns* virescens: elytris versus apicem leviter fusco maculatis; pedibus concoloribus.

Lyg. contaminatus. Mon. Cim. Sv. 76. 29.

Mas & Fem. Statura et magnitudo *P. pabulini*, eique similis, præter maculas aliquot in apice elytrorum obsolete fuscas, quæ in exsiccatis pereunt. Ideoque a *P. pabulino* exsiccato haud discrepat, nisi pedibus immaculatis. *Thorax* convexus, æqualis, vix impressus. *Abdominis dorsum* viride, an semper? *Tibiæ* distincte spinosæ.

Not. P. coutaminatus a *P. viridi* parum distinctus. Differt tamen: *ille* macula in cruce et in apice ante membranam fusca, obsoleta; *hic* thoracis margine postico, parte elytrorum interna, macula pone medium partis externæ evidentiori apiceque ante membranam fuscis. In ceteris simillimi sunt, in Alnetis mense Augusto, Esperöd Scan. simul cohabitantes.

6 *P. rugicollis* virescens lævis: thoracis antico transversim impresso; capite elytrorumque margine pallidioribus.

Lygæus Mon. Cim. Sv. 76. 30.

Mas & Fem. Habitat in Vestrogothia; D. Gyl-

LENHAL. Magnitudo *P. pabulini.* *Corpus* (exsiccati) pallescens, nudum: capite, margine thoracis elytrorumque pallidioribus. *Thorax* ruga elevata in medio divisa, (interjacente sulco) antice notatur. *Tibiæ* subspinosæ.

Not. A *P. pabulino*, cui similis, non differt nisi rugis binis thoracis elevatioribus, margine elytrorum (saltim in individuis exsiccatis) flavescente dorsoque abdominis basi nigricante. Tria solum specimina lustravimus.

7 *P. nassatus* viridis immaculatus supra villosus: thorace subæquali; elytris margine ciliatis.

Lygœus FABR. Rhyng. 236. 167 ENT. Syst. 4. 174. 136 ?

MAS & FEM. Habitat sat frequens in pratis; colore statura et magnitudine *Phyt. rugicolli* simillimus: pilositate brevissima rugisque thoracis minus elevatis discernitur. Margo quoque elytrorum magis perspicue ciliatus. *Tibiæ* spinulosæ. *Alæ* æneo-nitentes.

Not. Corpus hujus, ut in plerisque affinibus, post mortem pallescit. Elytra tamen in *P. nassato* colorem læte viridem diutius conservant. Margo horum pilosus speciem potius distinguit.

8 *P. angulatus* viridis subpilosus: thorace angustato transversim sulcato: angulo postico abdominisque punctis utrinque nigris.

Lygœus angulatus Mon. Cim. Sv. 76, 32. specimen exsiccatum.

MAS & FEM. Habitat in Vestrogothia et in *Co-*

rylo Esperöd Scan. mense Augusto sat frequens. In copula deprehensus. *P. nassato* angustior: thorace magis compresso, angustato, in medio transversim sulcato: postice utrinque magis angulato: angulis nigris. — *Corpus* viride, molle, leviter pilosum. *Antennarum* articulus primus basi et apice albus. *Elytra* angustata, summo margine interno nigra: *membrana* nervo viridi et macula nigricante picta. *Alæ* cærulescunt. *Abdomen* subtus lateribus utrinque punctis s. lineolis 4 nigris notatur. *Tarsi* pallidi.

Not. *Caput* et *antennæ* in vivis interdum pallida, at in exsiccatis pallidiora. *Elytra* viridia diutius manent, at puncta abdominis nigra post mortem evanescunt. Structura thoracis angustata et postice nigro-angulata a conspeciebus hanc speciem haud difficile distinguit.

9. *P. prasinus* viridis pubescens immaculatus: antennis tibiisque pallidioribus; elytris dilute viridibus, pellucidis.

Mas & Fem. In fruticibus Esperöd, haud infrequens, *Phyt. nassato* brevior et mollior, at *Ph. chorizante* paullo major et crassior; viridis, oculo bene armato pubescens. *Antennæ* elongatæ, tenues, et *tibiæ* pallidiores. *Elytra* dilute et læte viridia, pellucida: nervo membranæ viridiori. Ipsa membrana et alæ æneo-nitent.

Not. Notæ harum specierum non nisi difficillime erui et proponi queunt. Pilositatem et colorem magis minusve dilutum attente observare juvabit. *Phyt. prasinus* ceteris minor et mollior colorem elytrorum læte viridem diutius conservat. Eorum quoque margo nequaquam pallescit. Utrum autem hæc species verus sit *Lyg. nassatus* Fabr. an illa, quam sub eodem nomine supra descripsimus, nisi ex conspectione insecti, ab ipso Cel. Fabricio descripti, vix unquam dici potest.

10 *P. chorizans* pallide virescens pilosus; elytris albicantibus: maculis læte viridibus sparsis.

Lyg. chorizans Mon. Cim. Sv. 77. 33. Panz Fn. Germ. 18. t. 21 specimen modo exsiccatum et corrugatum.

Mas & Fem. In *Corylo* et *Alno* Esperöd frequentior. *Corpus* mollissimum, viride, breviter pilosum, *P. prasino* minus; in individuis exsiccatis valde corrugatum, pallidum. *Antennæ* tenues: articulo primo nigro-maculato s. annulato; secundo basi nigro. Hæc autem pictura in exsiccatis perit. *Elytra* maculis s. fasciis interruptis saturate viridibus notantur, quarum vestigia etiam in exsiccatis exstant. *Pedes* tenues pallidi, immaculati parum spinulosi.

11 *P. seladonicus* griseo-viridis, supra nigro-pilosus, opacus, elytris immaculatis.

Lygæus Mon. Cim. Svec. 77. 34.

Mas & Fem. In agris arenosis prope *Kivik* Scaniæ interdum sat frequens. Magnitudo *P. pabulini*, s. *pratensis*; præcedentibus major et robustior. — *Corpus* viridi-opacum, supra breviter nigro-pilosum: dorso abdominis nigro, (an semper?) — *Antennæ* breviusculæ. *Alæ* pulchre æneo-nitentes. *Tibiæ* spinosæ.

12 *P. molliculus* pallide virescens, supra nigro-pilosus: elytris maculis fuscis et albis sparsis.

Mas & Fem. In floribus variis arvorum *Esperöd* Scan. sat frequens, *P. seladonico* duplo fere minor. — *Corpus* viventis viride, exsiccati pallidum; supra pi-

lis brevissimis, oculo armato visis, nigris vestitum. *Elytra* albidiora, maculis obsoletis fuscis sparsa. Hæ autem maculæ in exsiccatis, imprimis masculis, sæpissime pereunt. Plerumque tamen manet macula juxta apicem elytri fusca. Dorsum abdominis ad basin interdum fuscescens. *Tibiæ* spinulosæ. *Alæ* albicantes, æneo-nitent. *Mas* semper angustior, minor et mollior: elytris parum s. vix maculatis.

13 *P. Tanaceti* corpore viridi, supra flavo-lutescens nigro-pilosus, immaculatus.

Mas et Fem. In Tanaceto Vestrogothiæ plures legit nobiliss. D. Gyllenhal. — Statura et magnitudo præcedentis, et species omnino diversa, quæ in individuis exsiccatis colorem lutescentem semper superne conservat, eoque respectu a *P. molliculo* mox distincta. *Femora* nigro-punctata? *Tibiæ* spinosæ. *Mas* elytris paullo infuscatis mare *P. molliculi* major, robustior et obscurior. Specimina viva lustrare nobis nondum contigit.

Sectio 2 *Elytris variegatis, antennis simplicibus.*

α) Majores, longiusculi.

14 *P. striatus* niger elytris flavo-fuscoque striatis, apice pedibusque rufis.

Cimex striatus Linn. Fn. 960. De Geer Ins. 3. 290. 29. t. 15 f. 14. 15. *Miris* Fabr. Rhyng. 255. 15. Ent. Syst. 4. 188. 14.

Mas & Fem. Species inter nostrates maxima, in Svecia superiori forte frequentior, in Umbellatis Scaniæ interdum obvia. *Corpus* nudum, nigrum, abdo-

minis segmentis anticis albo-marginatis. *Antennæ* obscure ferrugineæ: articulo tertio albo-annulato. *Thoracis* macula disci et scutelli macula biloba flava. *Elytra* fusca, flavo-nervosa; (inde striata videntur,) apice rufo-lutea. *Membrana* nigricans. *Pedes* rufi: tibiis subspinosis.

Not. Habitum *Miris*, uti voluit Cel. FABRICIUS, neutiquam habet hæc species.

15 *P. striatellus* virescens: thorace punctis quatuor striaque postica atris; elytris striatis: macula apicis alba.

Lygæus striatellus FABR. Rhyng. 236. 164. ENT. Syst. 4. 173. 133.

MAS & FEM. In floribus Umbellatarum frequentior; præcedenti affinis eoque paullo minor. *Abdomen* pallidum, in mare sæpe atrum: maculis 2 lateralibus pallidis; in femina pallidum: sterno interdum fusciori. *Scutellum* utroque in sexu album, immaculatum. *Elytra* longitudinaliter nigro-striata: membrana infuscata. *Pedes* pallescentes: femoribus rufescentibus, tibiis subspinosis.

16 *P. Populi* pallescens albo fuscoque nebulosus.

Lygæus FABR. Rhyng. 237. 171. ENT. Syst. 4. 174. 138. *Cimex* LINN. Fn. 963.

MAS & FEM. Habitat passim, in Scania minus frequens. *P. striatello* vix minor. Supra nigro alboque nebulosus, non nitidus: *scutello* concolore. *Antennæ* tenues, longissimæ: articulo primo piloso. Apex elytrorum plerumque albicans. *Femorum* apex *tibiæ*que spinosæ præsertim nebulosa.

Not. *Cimex umbratilis* Linn. Fn. 951 varietas hujus Speciei obscurior putatur.

17 *P. Tiliæ* virescens, linea thoracis laterali fasciisque tribus elytrorum nigris.

Lygæus Fabr. Rhyng. 237. 169. Ent. Syst. 4. 174. 173.

Mas & Fem. Habitat in Vestrogothiæ Quercu rarior; D. Gyllenhal. In fruticibus Tiliæ et Quercus Esperöd, mense Augusto sat frequens. Magnitudo præcedentis. *Corpus* virescens, supra non nitidum. *Thoracis* abdominisque latera nigra. *Antennæ* et *pedes* variegata. *Elytra* fasciis tribus inæqualibus, nebulosis notantur: media antrorsum angulata. *Membrana* leviter nigro-nebulosa: nervo basali viridi. *Elytra* interdum subtestacea.

Not. Color viridis hac in specie quam in præcedentibus diutius manet.

18 *P. tunicatus* supra ferrugineus nigro-irroratus, corpore elytrorumque margine flavis.

Lygæus Fabr. Rhyng. 233. 148. Ent. Syst. 4. 170. 121.

Mas & Fem. Habitat in Ostrogothia; minus frequens D. Dahlbom. *P. striato* parum minor.— *Corpus* supra in Mare obscure, in femina dilutius ferrugineum, non nitidum, nigro-irroratum: punctis in exsiccatis oculo quoque armato, imprimis conspicuis. *Antennæ* elongatæ, validæ, rufescentes. *Membrana* elytrorum nervis coccineis prædita. *Corpus* subtus flavum: abdominis dorso et spiraculis nigris. Margo elytrorum exterior flavescens. *Pedes* flavi, nigro-irrorati: tibiis vix nisi brevissime spinulosis, potius forsitan pubescentibus.

19 *P. ferrugatus* virescens nudus impunctatus; elytris roseo-maculatis.

Lygæus Fabr. Rhyng. 236. 163. Ent. Syst. 4. 173. 132. it. *L. campestris* Fabr. *Cimex roseo-maculatus* De Geer Ins.

Mas & Fem. In plantis viaticis valde frequens.— *Ph.* 2 *punctati* magnitudine. — *Corpus* nudum, viride, nitidum: abdominis dorso nigro. *Antennæ* tenues. Linea frontalis capitis pallida. *Elytra* interne et macula postica binata rosea. *Oculi* obscure-rufi. *Tibiæ* subspinosæ. *Mas*: thorace viridi, vittis 2 dorsalibus obsolete ferrugineis, quæ antice puncto nigro inchoantur, *scutello* nigro, guttis 2 albis; antennis pedibusque rufescentibus. *Fem*: thorace viridi, vittis 2 dorsalibus obsoletis vel nullis, punctis nigris deficientibus; scutello toto albo.

20 *P. sexguttatus* niger nudus: scutello, maculis thoracis elytrorumque flavissimis.

Lygæus Fabr. Rhyng. 237. 172. Ent. Syst. 4. 174. 139.

Mas & Fem. In Scania passim, frequentior. *P. ferrugato* haud major. Uterque sexus similiter coloratus. *Corpus* nigrum, nitidum. *Antennæ* tenues, obscuræ. *Thorax* niger: lineola antica macula oblonga dorsali et puncto utrinque marginali flavis. *Scutellum* semper cordato-flavum. *Elytra* flavo nigroque varia: maculis 3 vel distinctis vel confluentibus; membrana nigricante. *Pedes* nigri: tibiis sæpe flavis brevissime spinulosis.

21 *P. semiflavus* niger aureo-pubescens: thoracis margine postico, scutelli apice flavis: elytris flavo nigroque variis.

Miris semiflavas Wolff Cim. 4. 154. t. 15 f. 18.

Capsus unifasciatus Fabr. Rhyng. 243. 9. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 178. 153.

Mas & Fem. Hospitatur in floribus *Galii* mense Julio in arvis Gyllebo & Esperöd Scan. sat frequens. *P. sexguttato* paullo minor, eique primo intuitu similis; at *Caput* pubescens, non nitidum; *thorax* niger: margine postico flavo; *antennæ* basi lutescentes; scutelli apex late flavus. *Elytra* flava, interne et fascia media nigra; apex puncto nigro et præterea sæpius luteo-rufo maculatus: membrana nigricante. *Abdomen* nigrum, lateribus in femina tantum linea flava notatis. *Pedes* flavi: femorum apice sæpe nigro; tibiis spinulosis.

Mas variat elytris nigris, margine antico flavis.

Var. β Mas & Fem. magnitudine minori, macula elytrorum apicis luteo-rufa interdum deficiente.

Var. γ Mas: thorace scutelloque atris immaculatis Fabr. rarior occurrit.

22 *P. Dalmanni* flavescens: thoracis punctis 2 nigris; elytris apice coccineis; femoribus nigro-punctatis.

Mas & Fem. Habitat in plantis agrorum quiescentium Scaniæ, in Karakås Esperöd, mense Augusto minus frequens. A nobil. Dom. J. W. Dalman nobiscum quoque communicata. Species pulchra, a *Ph. semiflavo* omnino distincta, ei tamen affinis, at sæpe angustior ejusque varietate *β* fere minor. *Corpus* supra subpubescens, flavo-virescens. *Antennæ* pallidæ. Vitta capitis media thoracisque puncta seu vittæ discoidales et punctum anguli postici, nigra. *Scutellum* vel flavum vel nigrum: vitta media late flava. Elytrorum vittæ pone medium binæ fuscæ, obsoletæ; macula ante membranam læte coccinea, distinctiori; membrana nigricans: nervo pallido. *Abdomen* dorso

nigrum, margine flavum, ventre flavo. *Pedes* vel flavi, vel subrufescentes, femoribus nigro-punctatis, ad apicem rufis.

Not. Individua imprimis feminea occurrunt: capite thorace scutelloque totis flavicantibus; in his varietas γ *Lyg. semiflavi* Mon. Cim. Svec. 81. 44. Color autem scutelli elytrorumque speciem mox indicat diversam. Individua exsiccata plerumque pallescunt.

23 *P. lateralis* niger, elytris aureo-pilosis: lateribus antice pallidis; puncto ante membranam rufo.

Miris seticornis Wolff. Icon. Cim. forte.

Mas & Fem. In fruticibus Scaniæ mense Augusto minus frequens; prope Wadstenam Ostrog. D. Dahlbom. Ad Yläne Finl. D. Sahlberg. Inter majores, *Ph. ferrugato* robustior. *Corpus* nigrum nitidum. *Antennæ* extus pallidiores. *Thorax* plerumque niger, nitidus, at summus margo posticus et lineola interdum dorsalis pallida. *Elytra* fulvo-pubescentia, antice margine exteriori pallida. Punctum ante membranam rufum nigro-terminatum. Membrana nigricans: nervo fusciori. *Femora* nigra immaculata. *Tibiæ* pallidæ, distincte spinulosæ.

Var. β *Mas & Fem.* elytris subfulvis: apice rubriori.

Var. γ *Mas & Fem.* femoribus rufo-luteis.

Not. Lyg. fulvo-maculatus var. γ Monog. Cim. 82. 46 *fem.* huc pertinet. Ab hac specie differt nostra *Ph. lateralis*: colore thoracis femorumque.

24 *P. fulvo-maculatus* brunneo-fuscus aureo-pubescens, elytrorum apice fulvo: puncto nigro; pedibus lutescentibus nigro-punctatis.

Cimex fulvo-maculatus De Geer Ins. 3.

Mas & Fem. In *Urtica dioica* frequens; magni-

tudo *P. ferrugati.* — *Corpus* brunnescens vel nigricans, supra aureo-pubescens. *Antennæ* tenues elongatæ. *Thorax* sæpe nigro-bisbipunctatis. *Elytra* immaculata, præter apicem fulvum vel pallidum: puncto nigro; membrana fusca. *Pedes* pallidi, in vivis semper nigro-punctati; tibiis spinosis.

Mas semper nigricans: elytrorum apice pallido s. albo, puncto nigro.

Fem. brunnescens: thorace interdum nigricante.

Not. Puncta pedum post mortem facile evanescunt.

25 *P. Ulmi* supra rubiginosus pubescens: corpore nigro; membrana, articulo antennarum primo pedibusque nebulosis; puncto apicis elytrorum et nervo membranæ sanguineo.

Cimex Ulmi Ln. Fn. 964. *Miris Ulmi* Fabr. Rhyng. 256. 17.

Mas & Fem. colore similes. — Habitat in fruticibus mense Augusto rarior. — *Antennæ* longissimæ, tenues, pallidæ: articulo primo nebuloso. *Corpus* supra rufescens, leviter fulvo-pubescens: *thoracis* linea postica transversa nigra, *scutelli* macula cordiformi albida, elytrisque margine nigro-nebulosis. Apex ante membranam macula notatur alba sanguinea nigra; ipsa autem membrana distincte albo-nigroque nebulosa: nervo sanguineo. *Corpus* subtus nigrum immaculatum. *Pedes* pallidiores: femoribus præsertim posticis fusco-nebulosis, tibiis spinulosis.

26 *P. revestitus* supra testaceus, capite corporeque nigris, nitidis.

Miris pallens Fabr. Rhyng. 254. 8. Ent. Syst. 185. 7. *Cimex melanocephalus* Linn. Syst. 728. 88.

Mas & *Fem.* colore similes, hujus omnino Generis. Rarior occurrit. *P. Ulmi* duplo fere minor et angustior. *Corpus* et *Caput* nigra, nitida: antennis pedibusque pallidis. *Thorax* et *elytra* testacea, glabra, haud pilosa, immaculata: apice membranæ infuscato.

Not. Cum *Lygæo pallente* Fabr. non confundi debet. Nomen dedit Nobil. D. Gyllenhal.

27 *P. Coryli* angustatus niger nitidus; antennis pedibusque albis.

Lyg. Coryli Fabr. Rhyng. 234. 150. Ent. Syst. 4. 171. 123. *Cimex* Linn. Fn. 974.

Mas & Fem. similes. — In foliis *Coryli* et *Alni* hospitatur. *Corpus* angustatum, sublineare, præcedentibus minus, totum nigrum nitidum, vix nisi nudum: *antennis* pedibusque viventis albis. *Tibiæ* posticæ spinulosæ.

28 *P. pratensis* viridi-rufescens nitidus: macula ventrali nigra; supra impresso-punctatus: scutello cordato-albo.

Lyg. pratensis Fabr. Syst. Rhyng. 234. 155. Ent. Syst. 4. 171. 126. *Cimex* Linn. Fn. 949.

Mas & Fem. Supra impresso-punctatus nitidus, minime pubescens, colore variabili, plerumque testaceo. *Apex* elytrorum pallidior, puncto minuto nigro: membrana vix maculata. *Thorax* antice calloso-punctatus, i. e. ruga elevata bifida notatus (ut in plerisque conspeciebus) vel immaculatus vel nigro-lituratus. *Scutellum* cordato-album, interdum vittis 2 albis notatum. *Abdomen* viventis supra nigrum, subtus viride: macula ventrali nigra. *Femora* viridi-fusco-variegata: tibiis spinosis.

Mas : corpore subrufescente.

Fem: corpore magis virescente.

Not. Hæc species inter nostrates forsitan frequentissima in agris et pratis occ rrens, *variat α.* elytrorum medio rufescente, *β.* elytris viridi griseis, pone medium macula fusca. *Illa* mense Junio et Julio, *hæc* mense Septembri frequentior. Color et pictura post mortem mutatur.

26 *P. campestris* virescens, supra impresso-punctatus, scutello albo-maculato; elytris griseis subpubescenstibus: macula infuscata.

Cimex campestris Linn. Fn. 950; non Fabr.

Mas & Fem. In agris demessis cum *P. pratensi* mense Aug. et Sept. valde frequens. Structura præcedentis, paullo minor. Color corporis variabilis. Supra impresso-punctatus. *Caput* et *thorax* in vivis nigro- et viridi-maculata, glabra. *Scutellum* guttis tribus albis sæpius notatur. *Abdomen* supra nigrum; subtus in margine adsunt puncta minuta alba, sub quibus aliæ maculæ majores in segmentis formant lineam. *Elytra* prisea, non nitida, forte pube brevissima obtecta, maculis pone medium fuscis s. brunneis. *Pedes* nigro-marmorati; tibiis spinosis. *Alæ* æneo nitent.

Not. A *P. pratensi* difficillime dignoscitur *Elytra* tamen minus nitida vel quasi pubescenti2 conspiciuntur. Color et in vivis et in mortuis mutabilis; pictura enim abdominis in exsiccatis plane disparet. Sæpius autem adsunt tres maculæ albæ in scutello; rarius macula ventralis nigra. — *Lyg. campestrem* Fabr. cum *Ph. ferrugato* conjungimus.

30 *P. rubicundus* virescens: abdomine supra et macula ventrali nigris; elytris testaceis subpubescentibus immaculatis.

Mas & Fem. In Vestrogothia a D. Gyllenhal, in Finlandia a D. Sahlberg inventus. Affinis *P. campestri*, at eo paullo minor. Species verisimiliter diversa. Supra vel totus testaceus, vel *thorace* virescenti subtiliterque punctulato, ruga biloba ordinaria. *Elytra* impunctata, pube brevissima forte aurea vestita, immaculata: membrana infuscata, nervo sanguineo. *Abdomen* subtus testaceum: macula ventrali nigra. *Antennæ* breviusculæ. *Pedes* testacei tibiis subspinosis.— *Mas* corpore obscuriore thoraceque postice fusco a femina sæpe discrepat.

Not. Elytra unicolora et *antennæ* breviores speciem a *P. campestri* distinguere videntur.

31 *P. rufipennis* viridis nudus: elytris totis rufescentibus; pedibus immaculatis.

Mas & Fem. In Vestrogothia a D. Gyllenhal delectus. — Statura *P. ferrugati* duplo fere minor. *Antennæ* elongatæ. *Corpus* viride immaculatum nec pilosum: *thorace* dilutiori, *abdomine* supra nigro, subtus viridi. *Scutellum* et *elytra* tota rufescentia, membrana æneo-nitida, nervo sanguineo. *Pedes* virides: tibiis spinulolis.

Not. Elytra *Maris* magis rufescunt.

32 *P. limbatus* virescens nudus, supra niger: capite elytrorumque margine exteriori pallidis.

Mas. Habitat rarissime in Finlandia. Duo tantum

specimina a Cel. SAHLBERG ad nos missa. — *Statura P. campestris.* Sublus virescens, supra punctulatus nitidus. *Antennæ* ad basin pallidæ. *Caput* pallidum: oculis antennisque fuscis. *Thorax* niger, antice pallidus: punctis 2 nigris. *Scutellum* et *elytra* nigra: margine late pallido. *Femora* postica apice rufescunt. *Tibiæ* spinosæ pro insertione spinarum nigro-punctatæ.

FEM.

33 *P. viridis* lævis: elytris interne et maculis posticis fuscis.

MAS & FEM. Habitat in Vestrogothia et in Scania rarior. Magnitudo præcedentis. — *Corpus* viride: abdomine supra nigro. *Antennæ* elongatæ tenues. *Thorax* impunctatus glaber, margine postico fusco. *Scutellum* viridi-flavum. *Elytra* viridia, margine interiori et maculis obsoletioribus apicis fuscis. *Pedes* virides, tibiis spinulosis.

Nota. Duo tantum specimina lustravimus. In his masculum nobiscum communicavit nobil. D. GYLLENHAL, qui hanc et ceteras species a se detectas nominavit; feminam autem hujus speciei viventem, mense Augusto in silva Esperöd Scan. legimus ipsi 1808. — An species a *Ph. contaminato* vere diversa?

β Minores.

34 *P. flavo-varius* supra flavo nigroque varius nitidus: elytris antice maculaque postica pallidis; scutello, abdominis medio pedibusque flavis.

Capsus flavo-varius FABR. Rhyng.. 243. 10. *Lygæus* ENT. Syst. 4. 178. 154. (*Cimex Kalmii* LINN. Fn. 948?)

Mas & Fem. similes. — In floribus *Pastinacæ sativæ* interdum copiose occurrit, supra subtilissime punctulatus, nigro flavoque varius. *Thorax* antice linea collari et vitta dorsali viridi (in exsiccatis pallida) sæpe quoque transversim nigra, notatus. *Scutellum* cordato-flavissimum, in masculo sæpe nigrum: apice flavo. *Abdomen* subtus flavum, in medio et in lateribus nigrum. *Elytra* antice et macula postica albidiora, puncto nigro terminali: membrana et alæ æneo nitentia. *Femora* postica apice fusco-annulata.

Var. β singularis mas: corpore flavissimo; capite, linea thoracis antica et postica, abdominis dorso elytrorumque parte interiori et maculæ binæ apicis nigris nitidis. Linea media ventris et latera nigra, summo margine flavo punctata, similiter atque in *P. flavovario*. Femorum apex bis nigro-annulatus.

Not. Et imago et larva mense Septembri cohabitant imprimis in floribus *Postinacæ*. Pictura post mortem plerumque evanescit, manente tamen colore abdominis flavissimo.

35 *P. Pastinacæ* læte viridis nitidus: elytris interne et macula postica nigris: scutello viridissimo.

Lygæus Mon Cim. Sv. 86. 57. (*L. transversalis* Fabr. Rhyng. 238. 175. Ent. Syst. 4. 175. 142?)

Mas & Fem. similes. — Summa affinitas et magnitudo præcedentis, et habitatio in floribus Pastinacæ, mense Junio et Julio. *Larva* tota viridis. *Corpus* supra virescens, subtilissime impresso-punctatum, nitidum. *Antennæ* fuscæ, articulo basali viridi. *Thoracis* ruga antica ordinaria nigra. *Scutellum* cordato-viridissimum. *Elytra* hyalina, viridia, interne et macula ante apicem nigra, in exsiccatis interdum tota viridia. *Abdomen* viridissimum: tergo, pectore et sæpe macu-

la ante anum nigris. *Pedes* virides: tibiis spinulosis, unguibus nigris

Not. A P. flavo-vario vix distingui potest nisi colore viridissimo, qui in exsiccatis quoque sæpius conservatur. An Species distincta?

36 *P. punctulatus* niger supra impresso-punctatus nitidus; elytris pallidis: punctis duobus apicis nigris.

Mon Cim. Sv. 87. 58.

Mas. Statura et magnitudo omnino *P. flavo-varii*, at diversus qua superficiem distinctius et profundius impresso-punctatus. *Caput*, antennæ, abdomen et femora nigra. *Thorax*: niger vittis 3 pallidis. *Scutelli* puncta 3 pallida. *Elytra* distincte impresso-punctata, pallida, nitida: puncto versus apicem costali et altero terminali nigro. Membrana et alæ albidæ. *Tibiæ* albo-annulatæ.

Fem.

Not. Individuum non nisi unicum lustravimus, ab alio Collectore in Scania inventum.

37 *P. puncticollis* nigricans, supra griseo-rufescens: thorace impresso-nigro-punctulato; scutello pedibusque nigris; antennis basi et apice lineolisque duabus elytrorum nigris: membrana albo-hyalina.

Mas & Fem. Habitat in Scania; D. Zetterstedt, in Smolandia; D. Bogeman, rarior. *Ph. pastinacæ* paullo brevior, at ei affinis. *Antennæ* nigræ: articulis intermediis basi rufescentibus *Caput* rufum: orbita oculorum et collo nigris s. griseis. *Thorax* di-

stincte impresso-punctatus: punctis crebrioribus nigris; grisescens, in masculo antice rufescens: collari nigro; in femina antice subalbicans: cicatricibus duabus nigris. *Scutellum* rufum, antice punctatum, nigrum. *Abdomen* dorso nigrum. *Elytra* pallide grisea, seu subrufa, pellucida, nitida, glabra; in parte interiori lineis 2 strigaque in medio partis exterioris longitudinali e punctis impressis notata. Membrana immaculata. *Corpus* subtus nigricans: pectore impresso-punctato, albicante s. rufo-maculato, laminis sterni transversis albissimis; ventre subsericeo: segmentis apice anoque rufis; spiraculis nigris. *Pedes* rufolutescentes, nudi: articulo tarsorum ultimo nigro.

Not. Paucissima vidimus individua, et hæc exsiccata. Forsitan *Lygæus Resedæ* Wolff et Panzer cum hac nostra *P. puncticolli* eandem constituit speciem?

38 *P. tripustulatus* niger nitidus: capite scutello maculisque tribus etytrorum flavis.

Lyg. tripustulatus Fabr. Rhyng. 239. 182. Ent. Syst. 4. 176. 145.

Mas & Fem. similes. In *Urticis* et in *Humulo* sat frequens versatur hæc species, *Ph. flavo-varii* magnitudine. *Corpus* nigrum, nitidum. *Caput antennæ* et *pedes* nigro flavoque variegata. *Thorax* varius, sæpius antice et lineola media flavus. *Scutellum* cordato-flavum. *Elytra* maculis tribus in margine exteriori flavis notata: puncto terminali nigro. Membrana infuscata. *Tibiæ* subspinosæ.

Var. β. Fem. capite antennisque flavis; thorace elytrisque immaculatis nigris puncto ante membranam flavo; femorum basi nigra, apice nigro punctato. — E Finlandia; D. Sahlberg.

Not. Pictura flava in rufo-luteam post mortem abit.

39 *P. nigrita* niger aureo-pubescens: elytrorum apice lutescente, femoribus nigris immaculatis; tibiis albo-annulatis.

Mas & Fem. E Vestrogothia a nobil. D. Gyllenhal missus, *P. tripustulato* parum major; in Scania quoque lectus. — *Corpus* totum nigrum, pilis brevibus aureis facile detergendis vestitum. *Antennæ* nigræ. *Elytrorum* apex luteo-maculatus, puncto nigro, vel saltim luteo-nervosus. *Membrana* nigra. *Femora* tota nigra: tibiis sæpius distincte albo-annulatis, at in exsiccatis plerumque totis nigris.

Not. Differt a *P. Gyllenhalii* imprimis colore pedum antennarumque. Masculus vivus pedibus totis nigris rarius occurrit.

40 *P. Gyllenhalii* niger opacus argenteo-pubescens: elytrorum apice luteo; femoribus pallido nigroque variegatis, tarsis pallidis.

Mon. Cim. Svec. 88. 61.

Mas & Fem. In locis aridis et graminosis Esperöd. Scan. mense Augusto, sat frequens, *P. tripustulati* magnitudine. *Corpus* nigrum opacum, pilosum; at pili breves cito avelluntur. *Antennæ* basi pallidæ. *Thoracis* summus margo posticus pallidus. *Elytra* apice macula aurea s. lutea notantur: membrana infuscata, in viventibus reclinata, luteo-nervosa, alisque pulchre æneo-nitentibus. *Femora* pallide brunneo nigroque variegata: tarsis albis.

41 *P. betuleti* supra fulvo-pilosus: corpore, antennis pedibusque nigris, elytris nigro-rubiginosis: lunulis ante apicem binis albis.

Mas & Fem. In fruticibus *Betulæ albæ* in pratis

Gyllebo Scaniæ mense Julio, minus frequens — Statura *P. nigritæ* paullo minor; affinis quoque *P. variabili, mutabili* et *ambiguæ*, at differt: corporis antennarumque colore toto nigro. *Femora* autem viventium, genua et tibiæ vix nigro-punctata, in exsiccatis pro certo luminis situ interdum rufescunt. Pilositas, qua corpus obducitur, levissimo contactu deteritur. *Elytra* nigricantia (e corpore elevata rubiginosa): lunula in ipsa flexura ante membranam, et altera, in basi membranæ nigricantis alba.

Not. Cave, ne hanc speciem cum *P. variabili mutabili* et *ambiguo* confundas.

42 *P. mutabilis* nigricans: elytris rubiginosis, alis cærulescentibus, antennis pedibusque albidis.

Cimex mutabilis Linn. Fn. 967.

Mas. Præcedenti valde similis, excepto colore et longitudine pedum; etenim *femora* et *tibiæ* pallida impunctata; *antennæ* quoque elongatæ, albæ immaculatæ. *Pedes* elongati: femoribus longioribus et tenuioribus, quam in affinibus. Apex elytrorum ante membranam rufescens.

Fem.

Not. Species dubia. An a *P. betuleti* distincta?

43 *P. variabilis* nigricans, supra aureo-pilosus; elytris nigro-rubiginosis, alis cæruleis; tibiis nigro-punctatis antennisque pallidis.

Mas & Fem. In fruticibus Scaniæ infrequens — *Corpus* nigrum, pube aurea obductum. Hæc autem pubes primo contactu divellitur: *antennæ* pallidæ. *Elytra* rufescentia, apice dilutiori sæpius macula san-

guinea notato; membrana nigricante. *Femora* in exsiccatis nigra, impunctata, in vivis interdum pallida, nigro-punctata: apex femorum pallidus. *Tibiæ* pallidæ nigro-spinosæ.

Not. Hæc species, *P. mutabili* paullo minor, vix nisi viva a conspeciebus distingui potest.

44 *P. ambiguus* rubiginosus, pilosus: alis cæruleis; pedibus pallidis, antennis albis: articulo secundo apice nigro.

Mon. Cim. Sv. 89. 64.

Mas & Fem. Habitat in fruticibus Vestrogothiæ et Scaniæ interdum sat frequens; præcedente parum major, et robustior. *Corpus* vel nigricans, vel fusco-ferrugineum, aureo-pilosum. *Elytra* subferruginea: apice ante membranam rufo. *Antennæ* albæ: articulo primo toto et secundo apice nigro. *Pedes* pallidi: tibiis nigro-spinulosis.

Var. β pedibus subrufis, thoraceque interdum rufo-maculato.

Not. Difficillime a se invicem discernuntur *P. betuleti*, *mutabilis*, *variabilis* et *ambiguus*. Meminisse tamen juvant notæ sequentes:

Antennæ et *pedes P. betuleti* nigra. Lunulæ elytrorum albæ evidentiores quam in ceteris speciebus.

Antennæ et *pedes P. mutabilis* tota pallida immaculata: femoribus posticis longioribus et tenuioribus, quam in conspeciebus.

Antennæ et *pedes P. variabilis* pallida, apice femorum tibiisque nigro-punctatis. Femora autem tota sæpe nigrescunt.

Color corporis *P. ambigui* magis rufus; etenim

elytra, scutellum, anus et pedes sæpissime rufa sunt. Antennæ autem apice et basi articuli secundi albæ, in mortuis plerumque nigrescunt. Pedes quoque vel pallidi: tibiis nigro-punctatis, vel toti rufi. *Femora* crassiora et breviora quam in *P. mutabili*, interdum nigra: tibiis rufis seu pallidis.

45 *P. rubricatus* flavo-rufescens: puncto elytrorum terminali femoribusque posticis apice sanguineis.

Mon. Cim. Sv. 91. 70. Specimina exsiccata.

Mas & Fem. In Pinu Abietis a D. Gyllenhal detectus; in Smolandia a D. Boheman, et in fruticibus Esperöd Scan. D. 12 Aug. captus, et vivus descriptus. — Magnitudo P. rosei. *Antennarum* apex nigricans. *Caput*, *thorax* et *scutellum* testacea. *Abdomen* viride, margine infuscatum. *Elytra* subtestacea, leviter pilosa, pone medium sæpe infuscata, puncto apicis minuto, ante membranam rufo, sæpe nigro terminato. Membrana transversim infuscata. *Pedes* virides: femorum apice, imprimis posticorum rufo, interdum nigro-punctato.

Var. thorace vel immaculato, vel fusco-maculato.

Var. scutello vel immaculato et lutescente, vel puncto antico seu vittis 2 disci nigris notato.

Not. *Corpus* insecti nuper exclusi viride, at punctum elytrorum et apex femorum posticorum rufa. *Corpus* insecti exsiccati supra subtestaceum. *Antennæ* et *pedes* pallida. *Variatio* exsiccata: corpore toto pallide rufescente, oculis solum nigris.

46 *P. rufiventris* pallide rufescens, antennis pedibusque flavis immaculatis, elytris pellucidis: membrana nigricante.

Fem. In Silva Esperöd, mense Augusto. D. Zet-

TERSTEDT. Magnitudo *Phyt. mutabilis*, et *P. roseo* major. — *Corpus* molle, oblongum: abdomine subtus et supra luteo- seu pallide rufescente. *Caput* et *thorax* pallida, pubescentia. *Antennæ* pallide flavæ. — *Elytra* subrufescentia pellucida, apice ante membranam magis rufa: membrana nigredine tincta. *Pedes* flavi, impunctati: tibiis parum spinulosis.

MAS.

Not. Species dubia. Forsitan individuum nuper exclusum *Ph. mutabilis*??

47 *P. roseus* flavescens, supra aureo-pilosus roseus; elytrorum apice concolore.

Lygæus roseus FABR. Rhyng. 238. 178. ENT. Syst. Suppl. 542. 143.

MAS & FEM. colore similes. In *Betula alba* cum proxime antecedentibus obvius, parvus, magnitudine scilicet minori corporeque pallido distinctus; supra autem roseus, pube facillime divellenda. Apex elytrorum ante membranam puncto lætiori notatur. *Antennæ* et *pedes* pallida: femoribus viventium apice nigro-punctatis. *Tibiæ* spinosæ, ad basin spinarum nigræ. *Membrana* fuscior et *alæ* pulchre cærulescentes. *Oculi* nigri.

Var. β colore obscuriori et fusco-ferrugineo. *Pedes* ut in var. α colorati. An species diversa?

Not. Lunulæ elytrorum albæ interdum adsunt. Specimina dantur minora, semper flava, non rosea (nuper forsitan exclusa) a *P. viridulo* vix nisi pilositate corporis aurea discerni possunt. Pilositas enim *P. viriduli* nigra est. Cave autem, ne hanc speciem cum sequente confundas.

48 *P. sanguineus* rufus, supra aureo-pilosus: elytris apice ante membranam albis.

Lygæus sanguineus Fabr. Rhyng.. 238. 179. Ent. Syst. 4. 175. 144.

Mas & Fem. Prœcedente, cum quo in fruticibus cohabitat, paullo minor et distinctus: colore sanguineo imprimisque elytrorum apice ante membranam albo. Ipsa membrana et alæ magis quoque albescunt. *Color* corporis etiam in exsiccatis pulchre rufus.

49 *P. Querceti* flavo-virescens, supra aureo-pilosus. roseo-irroratus; femorum apice nigro-punctato.

Mon. Cim. Suppl. 15.

Mas & Fem. Habitat una cum affinibus, præsertim in Quercetis Esperöd mense Julio. Magnitudo *P. rosei* l. *sanguinei*; eis quoque haud dissimilis. *Corpus* mollissimum, viventis viride: ano pallido, in exsiccatis sæpe coccineo. *Antennæ* et *pedes* pallida: femoribus ante apicem nigro-punctatis et interdum rufo-tinctis. *Corpus* supra pallidum, aureo-pilosum et roseo-irroratum. Tinctura autem rosea in parte anteriori sæpius evanescit, unde *thorax* et *scutellum* flava immaculata evadunt. *Elytra* maculis pluribus roseis tinguntur. Accidit tamen, ut non nisi una alterave macula pone medium sit superstes et obsoletissima. *Membrana* infuscata. *Tibiæ* spinulosæ, nigro-subpunctatæ.

Not. Juniorem modo et nuper exclusam varietatem *P. sanguinei* credidimus: at *abdomen* in pluribus exsiccatis, *ano* solum coccineo, totum nunquam evadit rufum. Præterea elytra maculis roseis sparsis, non colore roseo contiguo tinguntur. Valde tamen affines sunt *P. roseus, sanguineus* et *Querceti*.

P. roseus colore flavo in roseum vergente tinctus

elytris minus pellucidis gaudet, apice ante membranam concolore: lunula modo flexuræ alba sæpe evidentiori. At juniores s. nuper explicati magis flavescunt.

P. sanguineus elytris magis rufis instruitur, sed color ille rufus ante apicem terminatur, unde dimidiato-sanguinea rectius dicerentur elytra.

P. Querceti elytra pallidiora sunt, colore non contiguo tincta. Hinc a junioribus specierum vicinarum commode quoque discerni potest hæc species.

50 *P. tenellus* virescens nudus, supra pallidior: pedibus impunctatis.

Mas & Fem. In gramine pratorum Esperöd rarior — Statura priorum. *Corpus* molle, totum flavovirescens: *oculis* nigris. Distinctus superficie haud pilosa, pedibus impunctatis tibiisque vix spinosis.

Not. Post mortem albescit, et propter teneritatem acu ægre adfigitur.

51 *P. pallens* corpore pallido impunctato nudo; capite parvo thoraceque triangulum formantibus, antennis pedibusque concoloribus.

Fem. Duo vidimus individua exsiccata in Scania capta — ad speciem propriam jure referenda. *Corpus* parvum, magnitudine *P. puncticollis*, totum pallidum. A conspeciebus maxime affinibus, similiterque coloratis differre videtur statura corporis obtusiori et robustiori; imprimis autem structura capitis parvi thoracisque triangulum mentiente: in affinibus enim caput paullo latior. A Genere *Anthicore*: capite intra antennas antrorsum haud longe productum, fronte acutiori certe distinguitur.

Mas.

52 *arbustorum* supra olivaceus nigro-pilosus: capite nigro; femoribus nigro-punctatis.

Lygæus arbustorum Fabr. Rhyng. 238. 174. Ent. Syst. 4. 175. 141.

Mas & Fem. Magnitudo priorum paullo robustior. *Caput* et *corpus* nigra nitida. *Pedes* pallide virescentes, nigro-punctati: tibiis spinosis. *Alæ* cærulescunt. *Oculi* viventis ferruginei.

Mas: macula ante membranam vel fulva vel alba.

Fem. *Var.* α nigra: pedibus olivaceis nigro-punctatis.

Var. β corpore nigro, supra olivaceo.

Not. Color in exsiccatis mutatur. Manet tamen nigredo capitis et pictura pedum. *Pili* nigricantes rariores facile deteruntur. Nomen speciei pessime electum. Etenim habitat hæc species non in arbustis, nisi rarior, sed in *Urtica dioica* et in aliis plantis viaticis et ruderatis copiosissima.

53 *P. nigriceps* capite thoraceque nigris; abdomine elytrisque viridibus, pedibus immaculatis.

Mas. Specimen a D. Boheman in *Pinu silvestri* detectum et nobiscum communicatum. Rarissime occurrit, ad speciem propriam jure referendum. Magnitudine *P. arbustorum* parum superat. *Corpus* oblongum nudum. *Caput* nigrum, glabrum, oculis magnis exsertis. *Antennæ* tenues virides. *Thorax* niger nitidus, subtilissime impresso-punctatus. *Scutellum* viride basi nigrum. *Abdomen* viride. *Elytra* tota viridia. *Pedes* quoque concolores, in luteum vergentes, immaculati, vix nisi inermes.

Fem.

Not. Insectum exsiccatum non nisi unicum, at bene conservatum, descripsimus — Vix *Capsi* generis?

54 *P. viridulus* pallide virescens, supra nigro-pilosus: pedibus nigro-punctatis.

Mas & *Fem.* colore similes. — In gramine pratorum frequentissime occurrit; Esperöd. — *Corpus P. arbustorum* parum minus, in vivis totum virescens, in exsiccatis pallidum: oculis fuscis, nervis ante membranam albis; ipsa autem membrana nigricans: puncto interdum antice nigro et lunula alba notata. *Antennæ* vel fuscæ vel virescentes: articulo primo nigro-punctato. *Tibiæ* spinulosæ.

Not. Post mortem potius albescit quam fuscescit. Pubes autem elytrorum contactu perit. An *Miris chrysanthemi* Wolff?

55 *P. ericetorum* virescens, elytris concoloribus: macula terminali fulva; pedibus impunctatis.

Mon. Cim. Sv. 91. 71.

Mas & Fem. In floribus *Ericæ vulgaris* prope Höberg Vestrogothiæ hanc speciem detexit Nobil. D. Gyllenhal, in silva prope Vadstenam mense Augusto D. Dahlbom. — Magnitudo antecedentium. *Corpus* molle, totum virescens, nudum; at in exsiccatis et diu adservatis flavo-lutescens, interdum vel supra viride, vel capite scutelloque flavescens. Apex elytrorum macula ante membranam fulva notatur. *Antennæ* et *pedes* pallida immaculata.

56 *P. Thunbergii* nigricans, supra opaco-luteo-virescens nigro-pilosus: linea media thoracis elytrorumque striis pallidioribus.

Lygæus Thunbergii Mon. Cim. Sv. 91. 72.

Mas & Fem. In gramine pascuorum Esperöd mense Julio frequens. *P. arbustorum* vix major. Supra luteo-virescens, non nitidus: capite glabro, lineola, quæ thoracem et scutellum transit, albida vel flavescente. *Thorax* antice maculis 2 cicatriciformibus, s. ruga bifida nigra. *Scutellum* punctis 2 nigris impressum. *Elytra* striata, nervis scilicet pallidioribus: interstitiis nigro-pilosis. *Abdomen* nigricans, (in mare magis nigrum) pectore et apice segmentorum pallide virentibus. *Pedes* virescentes: femoribus nigro-punctatis, tibiis subspinosis.

57 *P. Paykullii* læte viridis supra nigro-pilosus: elytris albidis: membrana nigricante antice albo-nervosa; pedibus immaculatis.

P. Paykullii Mon. Cim. Sv. 92. 73.

Mas & Fem. In arvis arenosis prope Kivik Scaniæ interdum haud infrequens, mense Augusto. Præcedente paullo minor. — Corpus totum pulchre virescens: *antennis* et oculis fuscis. *Pedes* et *elytra* pallidiora, immaculata; membrana solum nigricans: antice albo nervosa et lunula alba plerumque notata. Alæ albo-cæruleæ et membrana metallice pulchre nitent. *Pedes* maris sæpius paullo fusciores.

Not. Pili elytrorum nigri, rariores, forsitan magis persistentes, quam in speciebus supra descriptis.

58 *P. Bohemanni* nigricans; elytris albo-nigroque micantibus; tibiis albidis nigro-punctatis

Mas & Fem. In *Salice viminali* prope Vernamo Smolandiæ a Cl. D. Boheman detectus, magnitudine præcedentis. *Corpus* parvum, nigro-fuscum nitidum:

capite, thorace abdomineque concoloribus. *Antennæ* tenues, dimidia corporis longitudine, vix nisi fuscæ. *Scutellum* nigrum. *Elytra* albicantia, in medio fusca, vel potius albo-nigroque alternatim micantia. Color tamen in basi apiceque magis minusve albidus. *Membrana* nigredine tingitur. *Femora* vel infuscata, (imprimis marium) vel pallida: tibiis albis distincte nigro-punctatis.

Not. Specimina modo pauciora lustravimus exsiccata; ea autem ad novam speciem, a ceteris omnino diversam, referre et Inventoris nomine condecorare nobis fuit jucundum.

59 *P. albipennis* griseo-nigricans: elytris albidis puncto apicali nigro; tibiis nigro-punctatis.

Mas & Fem. In pascuis aridis Esperöd. mense Julio rarior captus; D. Zetterstedt. — *Ph. Bohemanni* paullo minor, ei tamen valde affinis. *Antennæ* nigræ. *Caput, thorax* et *scutellum* griseo-nigra, subopaca. *Elytra* sordide alba: puncto apicis exteriori nigro. *Alæ* albidæ. *Pedes* nigricantes, antici interdum pallescentes: tibiis imprimis posticis nigro-punctatis, spinulosis.

Not. A *P. Bohemanni* differre videtur: magnitudine minori, opacitate corporis, et puncto apicali elytrorum solitario. Nulla igitur in disco elytrorum adesse videtur nigredo. Pauciora tamen, scilicet quatuor, lustravimus specimina exsiccata.

60 *P. ruficollis* nigricans: thoracis collari rufo; elytris albidis infuscatis; pedibus luteis.

Fem. In pratis turfosis Scaniæ Hagestad-mälar dictis, olim duo vel tria individua, magnitudine *P.*

Paykullii mense Augusto cepimus. — *Corpus* exsiccatum obscurum: capite subrufo? *Antennæ* fuscæ, apice albidæ? — *Thorax* nigricans: antice collari rufo, et striga media, quæ scutellum transit (an semper?) Præterea puncta rufa ad basin scutelli in altero specimine adsunt. *Elytra* albida, transversim infuscata, fere ut in *P. Bohemanni.* *Abdomen* nigrum: ano rufo. *Pedes* lutei.

Mas.

Not. Individua viva utriusque sexus, pro specie rite definienda, desunt.

61, *P. Filicis* piceus nitidus: capite, pedibus elytrorumque margine pallidis.

Cimex Filicis Linn. Fn. 919 (verus) *Acanthia Filicis* Wolff Cim. 2. 46. t. 5. fig. 43.

Mas & Fem. colore similes. — In *Filicibus* Vestrogothiæ a Nobil. D. Gyllenhal copiose lectus. In Scania quoque prope *Fontem* sic dictum *Professoris* Esperöd. mense Augusto, frequenter obvius. — Inter species *Phytocoris* minutas referendus, at proxime præcedentibus paullo latior. *Corpus* fuscum, nitidum, depressiusculum, oculo armato brevissime fusco-pubescens. Antennarum articulus primus totus et secundus ad partem pallidi, tertius et quartus fusci magisque pubescentes quam ceteri. Oculi fusci. *Thoracis* anguli postici pallidi. *Thorax* quoque oculo bene armato impresso-punctulatus conspicitur. *Pedes* pallidi, mutici? —

Not. Descriptio Linn. Fn. loco cit. hanc in speciem non usque adeo quadrat. Descriptio autem nostra specimina viva, eaque plurima, respicit.

62 *P. obscurellus* nigricans pube grisea vestitus: pedibus sordide pallidis.

Fem. In *Pinu silvestri;* D. Boheman. Specimen

modo unicum lustravimus exsiccatum, ad Speciem ab aliis valde diversam referendum. — *Corpus* minutum et inter *Phytocores* minimum, totum obscurum, et pube distinctiori grisea, (forte aurea) obtectum: capite thorace elytrisque concoloribus, similiter pubescentibus. *Pedes* viventis insecti forsitan pallidi? at exsiccati sordidi.

Mas.

Sectio 3. *Oblongi, antennarum articulo secundo vel masculorum vel utriusque sexus versus apicem incrassato.*

63 *P. scutellaris* niger nitidus: scutello tibiarumque apice coccineis, antennis pubescentibus.

Ph. scutellaris Zetterst. Act. Holm. 1819. pag. 74. 25. *Capsus scutellaris* Fabr. Rhyng. 245. 22. Ent. Syst. 4. 180. 163.

Mas. In Lärketorp Ostrogothiæ a Cel. D. Zetterstedt semel lectus. Inter majores hujus generis. *Ph. pratensi* major. *Corpus* nigrum, nitidum, supra impresso-punctulatum, nudum. *Antennæ* subpubescentes, nigræ: articulo secundo versus apicem paullo incrassato. *Elytra* nigra: membrana nigredine tincta. *Pedes* nigri: tibiis subspinulosis apice rufis.

Not. In Collectione D. Zetterstedt adservatur.— Forsitan pro masculo sequentis speciei rectius habetur.

64 *P. danicus* rufus supra impresso-punctatus nitidus; antennis pubescentibus; basi et thoracis postico ventreque nigris.

Capsus Fabr. Rhyng. 246. 25. *Lygæus* Ent. Syst.

4. 181. 165. WOLFF Cim. I. 34. t. 4. f. 34. MON. Cim. Sv. 93. 75

FEM. Habitat apud nos rarior. Statura præcedentis oblongo-ovata, ceteris Seciæ Speciebus hújus generis crassior et robustior. — *Antennæ* breviter pilosæ: articulo primo et apice secundi incrassato nigris, ultimis tenuibus vel rufis vel albis. *Caput* rufescens. *Thorax* sat profunde impresso-punctatus rufus, antice nodoso-rugosus, postice niger seu maculis 2 vel discretis vel confluentibus notatus. *Scutellum* rufum. *Elytra* leviter impresso-punctata, nuda, vel tota rufa, vel sutura maculaque marginali postica nigra. *Abdomen* dorso et ventre subpiloso nigrum, lateribus rufum: ano nigro. *Femora* nigra, apice rufa. *Tibiæ* spinulosæ rufæ.

Not. Pauciora modo inspeximus specimina exsiccata colore aliquantulum variantia, notis tamen jam allatis inter se convenientia.

65 *P. gothicus* corpore ferrugineo piloso supra impresso-punctatus testaceus; antennarum articuli secundi apice incrassato obscuro.

Lygæus gothicus Mon Cim. Sv. 93. 76.

MAS et FEM. Habitat in *Pinu silvestri* Vestrog. D. GYLLENHAL, prope Vadstenam; D. DAHLBOM. Magnitudo *P. campestri* paullo robustior et structura præcedentis. — *Corpus* (exsiccati) ferrugineum, nitidum, pilosum: oculis fuscis. *Antennæ* distinctius pilosæ, testaceæ, articuli secundi apice crassiusculo, obscuro. *Thorax* et *elytra* pilosa, impresso-punctata: margine elytrorum exteriori tenuiter albo-nigroque punctato. Ruga elevata ordinaria thoracis, scutellum et apex elytrorum rufescentia; membrana æneo-nitens: apice nebuloso, nervo fusco s. sanguineo. *Pedes* pilosi. Corpus *maris* interdum magis obscurum.

66 *P. thoracicus* lutescens pilosus: capite thoracisque antico nigris: lineola dorsali apiceque scutelli albis; articulo antennarum secundo in mare subtus tuberculato.

Lygæus thoracicus Mon. Cim. Svec. 81. 45.

Mas & Fem. Rarius occurrit in gramine, mense Junio, Esperöd, in Ostrogothia D. D. Engström. — Magnitudo *P. fulvi-maculati*. *Corpus* sordide fulvum s. lutescens, supra pilosum. *Antennæ* pilosæ, in femina simplices; in masculo autem augetur articulus secundus clava seu protaberantia infra apicem, more quidem insolito. *Caput* nigrum, nitidum. *Thorax* cordatus, antice niger, seu macula biloba callosa; postice lutescens. Linea media capitis per thoracem transiens albida, in masculo præsertim conspicua. *Scutellum* nigrum, apice album. *Elytra* pallidiora immaculata, apice tantum fusco-punctata: membrana infuscata. *Abdomen* supra nigrum: margine viventis luteo; subtus luteum, pectore nigro; ano maris plerumque nigricante. Pedes lutei. *Tibiæ* spinulosæ.

Sectio 4 *Obtusiusculi: corpore subquadrato, capite dilatato.*

67 *P. leucocephalus* obscure niger nitidus: capite pedibusque fulvis.

Lygæus leucocephalus Fabr. Rhyng. 237. 173. Ent. Syst. 4. 175. 140. *Cimex* Linn. Fn. 940. De Geer Ins. 3. 290. 28.

Mas & Fem. colore similes. In gramine passim. Statura crassa, subquadrata, *P. flavovario* non longior, at latior. *Corpus* nigrum nitidum, supra punctulatum, brevissime pilosum: capite rufo, oculis nigris.

Alæ nigricantes. *Pedes* rufi, femoribus tibiisque pilosis.

Var. β capite nigro.

68 *P. pinastri* nigricans supra impresso-punctatus; capite pedibusque testaceis: femoribus apice nigro-punctatis.

Lygæus pinastri Mon. Cim. Sv. 95. 79.

Mas & Fem. In frondibus *Pini silvestris* detectus a D. Gyllenhal. Statura præcedentis parum minor. *Mas corpore* nigro, capite testaceo; antennis pedibusque pallidis, femoribus basi nigris, apice nigro-punctatis. *Thorax* niger. *Elytra* vel nigra, vel fusco brunnea. — *Fem*: corpore nigro, ano pallido. *Antennæ* et pedes ut in mare. *Thorax* in aliis totus nigricans, in aliis testaceus, antice collari nigro s. brunneo ornatus. *Elytra* in aliis testacea, in aliis macula postica nigra, antice testacea. Variat quoque pedibus totis testaceis; femoribus modo apice nigro-punctatis.

Not. Color tantum capitis (et puncta femorum) constans videtur nota. Plura ad nos missa sunt specimina, habitu *P. leucocephali* similia, at antennis longioribus instructa; in his vestigia pilorum nulla.

69 *P. luridus* testaceus subnitidus: punctis duobus thoracis brunneis, abdomine supra fusco; pedibus immaculatis.

Mon. Cim. Svec. 94. 78.

Fem. Statura et habitus omnino præcedentis. *Corpus* supra punctulatum, nitidum, subpilosum? *scutello* pallidiori. *Thoracis* maculæ infra oculos et oculi brunnea. *Membrana* et alæ nigricantes.

Abdomen supra fuscum, subtus testaceum. *Pedes* testacei: tibiis subspinulosis.

Mas.

Not. Species adhuc dubia, nec nisi unicum lustravimus individuum in agro arenoso prope Kivik Scaniæ captum, a *P. pinastri* vix differens, nisi capite parum angustiore, superficie supera minus profunde punctata, ut et pedibus immaculatis. Pro varietate juniori, seu nuper exclusa rectius forsitan haberi potest. Obstat tamen, præter notas jam allatas, diversa habitatio; etenim in tractu illo Kivicensi nullum adest pinetum.

70 *P. pallicornis* niger nitidus: antennis tibiisque albis impunctatis, femoribus posticis incrassatis.

Lygæus Mon. Cim. Sv. 95. 80.

Mas & Fem. Habitat frequentissime in gramine saltitans. Inter minores hujus generis, *P. Filicis* paullo robustior et major. — *Antennæ* elongatæ, tenues et *tibiæ* submuticæ, albæ; at femora postica crassa. *Membrana* elytrorum nigricans. Alæ nitent.

Var. β aptera; elytris abbreviatis.

Salda pallicornis Fabr. Rhyng. 115. 6 *Acanthia pallicornis* Ent. Syst. 4. 69. 5. *Cicada aptera* Linn. Fn. 894.

Not. Individua alata rariora, in agris tamen et in gramine Esperöd. plura invenimus; aptera autem frequentissima, sæpe copulata. Utraque varietas saltat ut pulex.

71 *P. pulicarius* niger nitidus: tibiis albis nigro-punctatis; femoribus posticis incrassatis.

Mon. Cim Sv. 95. 81.

Mas & Fem. In copula deprehensa. In pascuis aridis frequentissime occurrit hæc species, Esperöd. *Statura P. pallicornis* alati, duplo vel triplo minor, eique valde affinis. *Antennæ* vel pallidæ vel fuscæ in medio albæ. *Corpus* nigrum nitidum: *femorum* apice et tibiis spinosis albis; his nigro-punctatis. *Alæ* nitent.

Not. Differt hæc species a præcedente præter magnitudinem multo minorem: punctis tibiarum nigris. Manu Collectoris, humo jacentis, juxta radices graminum, capitur.

72 *P. saltitans* niger, elytris abbreviatis albidis: fascia media nigra; femoribus posticis incrassatis, tibiis pallidis.

Lygæus saltitans. Mon. Cim. Sv. 96. 80.

Mas & Fem. *Corpus* parvum, præcedentis magnitudine, nigrum nitidum. *Antennæ* nigræ. *Elytra* sordide alba s. pallida: fascia late nigra. *Pedes* nigri tibiis pallidis. *Membrana* elytrorum et alæ nullæ.

Not. Habitat cum præcedente, copiose saltitans ad litus maris prope Stenshufvud Scaniæ, juxta casam Piscatorum, Karakås dictam, ad radices graminum, mense Augusto. Pupam fore *P. pulicarii* suspicatur; at metamorphosin ejus diu et frustra quæsivimus. Structura capitis cum *P. pulicario* convenit, ideoque non esse pullum *P. albipennis*, (respectu habito ad colorem elytrorum albidum) verisimillimum putamus.

---

15 Capsus *Antennæ* setaceæ. *Corpus* vel ovatum vel lineare: *thorace* subæquali; *membrana* elytrorum præter areolam anticam, nervis destituta; *tibiis* spinulosis.

Corpus oblongum, vel ovatum vel lineare magni-

tudine vel mediocri vel minuta. *Antennæ* setaceæ, aut elongatæ aut mediocres: articulo secundo longissimo, vel alterius vel utriusque sexus versus apicem interdum incrassato; interdum simplici, præsertim in Speciebus linearibus. *Caput* paullo dilatatum, *oculis* scilicet valde prominulis partem thoracis anteriorem superantibus. *Pedes* simplices: tibiis spinulosis.

Victus in gramine et in fruticibus cum *Phytocoribus* communis. *Hospitium* quoque in floribus et in fruticibus.

Metamorphosis interdum aberrat; femina enim nondum rite explicata copulationem patitur.

Not. Species nostræ valde affines sunt Generi *Phytocori*, cum quo conveniunt *corpore* oblongo-ovato vel crassiori vel angustiori, *antennis* 4-articulatis, versus apicem attenuatis, (capillaribus) mollitie corporis, vestitu pilorum, spinis tibiarum et structura genitalium; at differre videntur latitudine *thoracis* subæquali. Hæc autem differentia minoris forsitan momenti conjunctionem harum specierum cum Genere *Phytocore* rectius urgere videtur. Crassities quoque articuli antennarum secundi, a Cel. Fabricio citata, pro Genere *Capso* a ceteris distinguendo, inconstans tantummodo est nota. Apicem hujus articuli in speciebus aliquot primæ sectionis crassiorem semper observavimus; at in sequentibus omnes articuli vel lineares, (ut in *C. agili*) vel in sexu alterutro inæquales sunt, et in larvis femineis (ut in *C. flavomaculato*) imprimis crassitiem hujus articuli secundi videbis distinctam, quæ quidem crassities in imagine completa non manet. Ejusmodi antennarum structura in quibusdam *Phytocoris* speciebus quoque observatur, ut in *Ph. danico* et *gothico*; et in *Ph. thoracico* adest in masculis tuberculum, apicem hujus articuli crassescens, in feminis non ita. Ut igitur retineatur hocce Genus *Capsus*, ad structuram thoracis attendere, imprimis ad collare globulis nigro-nitentibus ornatum, speciesque in dubium vocatas in Genere *Phytocore* investigare oportet. Hoc autem imprimis de spe-

ciebus linearibus valet. — Ceterum quoque Species *Capsi*, sin omnes, ante explicationem completam copulantur feminarum, quæ in quibusdam incompletæ semper manent.

Sectio 1. *Corpore ovato-oblongo (Alati.)*

1 C. *Sahlbergii* opaco-ater, supra subpilosus: oculis pedunculatis; antennarum articulo primo crasso; tibiarum annulo fulvo.

Mas & Fem. Ad Yläne *Nygård* Finlandiæ plura specimina legit D. Sahlberg. — Magnitudo *Capsi atri* paullo minor. Insectum singularis structuræ, in copula inventum. *Antennæ* dimidio corpore fere longiores, nigræ: articulo primo crassissimo, piloso; secundo elongato, vix nisi lineari; ultimis duobus capillaribus, parum persistentibus. *Oculi* longe exserti, et quasi pedunculati, (fere ut in *Cancris*) subtus et supra ad basin albicantes; *Caput* quoque ad insertionem rostri utrinque macula albicante pictum. *Thorax* antice obsolete bicallosus. *Elytra* duriuscula, opaca; distincte at non dense griseo-pilosa; membrana *Maris* nigra: areola ad basin ordinaria hujus Generis. *Elytra Feminæ* absque membrana et alis. An semper aptera? *Pedes* simplices atri: tibiis omnibus annulo fulvo l. luteo præditis, parum spinulosis.

Not. Ne moleste ferat celeb. Inventor, nos hunc *Capsum* valde singularem suo nomine condecoravisse! Vix proprii generis. Etenim non differt a ceteris nostris speciebus, nisi oculis longius productis, et crassitie articuli basalis antennarum; Hæ autem differentiæ speciem jam designant, saltim usque dum plures ejusdem organisationis species detegerentur. — Genera præter necessitatem multiplicare nihil refert.

2 C. *ater* niger ovatus: antennis apice capillaribus; capite vel nigro vel rufo.

Capsus ater Fabr. Rhyng. 241. 2. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 177. 149. *Cimex ater* Linn. Fn. 944.

Mas & Fem. Habitat passim, sat frequens. — *Corpus* crassum, ovatum, supra punctulatum. *Antennæ* nigræ: articulo secundo clavato, ultimo basi albo. *Thorax* maculis 2 confluentibus callosis. *Elytra* nigra: membrana concolore. *Abdomen* atrum, nitidum. Basis pedum et rostri plerumque ferruginea. *Tibiæ* subspinosæ.

Var. α Mas & Fem. niger, pedibus vel nigris vel rufis, vel rufo-maculatis.

Var. β Fem. niger, capite thorace pedibusque rufis.

Capsus flavicollis Fabr. Rhyng. 243. 13. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 178. 156. *Cimex semiflavus* Linn. Syst. 68.

Var. γ Mas: niger capite pedibusque rufis.

Not. Rubedo post mortem in nigredinem haud raro abit.

3 C. *albo-marginatus* niger pilosus: elytris margine albis.

Capsus Fabr. Rhyng. 245. 24. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 180. 164. *Cimex superciliosus* Linn. Syst. Nat.

Mas & Fem. similes. Habitat in plantis pratorum frequens. — *Corpus* oblongum nigrum, hirsutulum: antennis pedibusque pilosis. Margo elytrorum exterior et lunula supra oculos alba *Membrana* et *alæ* æneo-nigricantes. Latera abdominis stria alba notantur.

4 C. *gothicus* niger pilosus, elytris margine pallidis: apice scutelloque coccineis.

Capsus Fabr. Rhyng. 244. 20. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 180. 162. *Cimex gothicus* Linn. Fn. 966.

Mas & Fem. similes. Affinis præcedenti, cum quo habitat in pratis. *Corpus* oblongum, hirsutulum, nigrum. Rufa sunt: *scutellum*, apex *elytrorum*, macula utrinque lateralis *thoracis* et stria utrinque ad latera *abdominis*. Margo exterior elytrorum albidus, similiter atque in *C. albo-marginato*. Lunula ante oculos rufa plerumque adest. *Antennæ* et *pedes* nigra, pilosa. *Membrana* et *alæ* æneo-nigricantes.

5 C. *mutabilis* obscure niger, supra fulvo-pilosus: antennis immaculatis.

Capsus mutabilis Mon. Cim. Svec. 98. 4.

Mas & Fem. colore similes. In gramine frequens. Statura præcedentium, at semper paullo minor. *Corpus* totum obscure nigrum, supra fulvo-pilosum: antennarum articulo secundo subincrassato. *Antennæ* et *pedes* pilosa, nigra. *Tibiæ* spinosæ. *Elytra* immaculata. Variat tamen *Mas*: stria media elytrorum longitudinali pallidiori. Variat quoque: *tibiis* testaceis.

Not. Feminæ perfecte explicatæ rariores sunt; at *larvæ* s. *pupæ*, corpore crasso obtuso, elytris abbreviatis, frequenter etiam copulatæ occurrunt. — Pilositas corporis contactu facile deteritur.

6 C. *bifasciatus* ater; antennis pedibusque testaceis; elytris fulvis: strigis duabus transversis albis.

Capsus Fabr. Rhyng. 242. 7. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 177. 152. *Cimex clavatus* Linn. Syst. 2. 729. 97.

Mas & Fem. Habitat minus frequens in Alnetis Esperöd; in Ostrogothia D. Dahlbom. *Antennæ* viventis testaceæ: articulo secundo versus apicem aliquantulum incrassato nigricante; tertio ad basin al-

bo. *Corpus* nigrum nitidiusculum. *Elytra* pulchre fulva seu brunnea, strigis duabus albis transversis picta. *Membrana* nigricans, incurvata. *Alæ* æneo-nigricantes. *Pedes* testacei: tibiis subspinosis.

Not. a *Capso triguttato* differt: et statura corporis crassiori, et colore antennarum diverso.

7 C. *quadrimaculatus* niger elytris flavis: macula discoidali dilatata nigra; tibiis lutescentibus,

Capsus 4-maculatus Mon. Cim. Sv. 99. 6.

Mas & Fem. Habitat in Vestrogothia D. Gyllenhal; prope Wadstenam, D. Dahlbom, rarior. *Corpus* nigrum parvum, *Phytocore arbustorum* minus. *Antennæ* nigræ (subspinulosæ?) interdum pallidæ: articulo secundo fusiformi, i. e. toto incrassato in masculo, at in femina tenuiori; articulis ultimis setaceis. *Caput* et *thorax* nigra. *Elytra* flavescentia: parte interiori et macula magna media obliqua nigra; puncto interdum terminali minuto nigro. *Membrana* æneo-nigricans. *Alæ* cærulescentes. *Femora* nigra, postica incrassata, antica apice et tibiæ subspinosæ lutea.

Not. Color flavus elytrorum tibiarumque in albidum plerumque mutatur.

8 C. *magnicornis* niger, supra brunnescens; antennarum articulo secundo fusiformi nigro; ultimis setaceis albis.

Capsus magnicornis Mon. Cim. Sv. 99. 7.

Mas & Fem. In Pinu Abietis; D. Gyllenhal; in Ostrogothia; D. Dahlbom. — Statura et magnitudo *Capsi 4-maculati* vix minor. Affinis videtur *C. spis-*

sicorni. *Corpus* nigrum, supra brunneum. *Antennæ* aut nigræ, aut brunneæ: articulo secundo toto incrassato, ultimis tenuibus albis. *Caput* et *thorax* obscura. *Elytra* brunnescentia (aureo-pilosa?) costa et puncto apicis fuscis. Membrana et alæ infuscata. *Femora* postica incrassata. *Tibiæ* pallidiores, spinulosæ. Aperte differt a *C. 4-maculato*: elytrorum colore longe diverso.

SECTIO 2 *Corpore elongato, angustato. (Alati)*
* *Elytris pictis.*

9 *C. flavo-maculatus* niger nitidus; elytris albo-bimaculatis: macula postica puncto nigro terminata; pedibus luteis.

Capsus flavo-maculatus FABR. Rhyng. 247. 30. *Lygœus* ENT. Syst. 4. 182. 169. *Cimex* DE GEER Ins. 3. 194. 134.

MAS & FEM. In floribus pratorum sat frequens. Longitudo Phyt. pratensis, at eo multo angustior. — *Corpus* molliusculum. *Antennarum* articulus primus flavus, medius niger, ultimi albi. *Elytra* antice externe et macula apicis alba (in exsiccatis flava): puncto terminali nigro. *Membrana* et *alæ* æneo-nigricantes. Pedes vel pallidi vel lutescentes.

Not. Femina perfecte explicata rarius occurrit; larva autem vel pupa sæpius visa, antennarum articulo secundo versus apicem distinctius incrassato, quam in Imagine completa. Mas frequentior obvius, antennis fere linearibus: articulo scilicet secundo parum s. vix incrassato.

10 *C. agilis* niger nitidus, thoracis margine antico et postico, scutelli apice elytrisque flavis.

Capsus agilis FABR. Rhyng. 247. 31. *Lygœus* ENT. Syst. 4. 182. 170. *Cimex histrionicus* LINN. Syst. Nat. 89.

Mas & Fem. similes. Sat frequens in pratis, flores Umbellatarum sæpe visitat. Statura linearis elongata, longitudine ad *Phyt. striatellum* accedens, at præcedente angustior. *Antennarum* articulus primus flavus, ceteri nigri, sublineares. *Corpus* nigrum, nitidissimum, lineare, angustatum *Thorax* niger: linea collari et basali flava. Globuli collares nigri, nitidissimi. *Scutellum* flavum. *Elytra* viventis basi macula nigra, dein flava s. lutea: apice diaphano flavo, puncto nigro terminato. *Alæ* æneo-nitentes. Membrana puncto et nervis interdum albis instructa. *Pedes* flavi, tenues, nudi.

11 C. *umbratilis* obscurus: elytris pallidis flavo-lineatis: fascia apicis alba.

Capsus umbratilis Fabr. Rhyng. 243. 12. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 178. 155. synonymo Linn. delendo.

Mas et Fem. In *Pinu silvestri* a Nobil. D. Gyllenhal detectus, *C. 4-maculato* paullo robustior. — *Corpus* exsiccatum subtus nigrum nitidum, vel brunneum: *pedibus* ferrugineis, tibiis subspinosis. *Thorax* et *caput* nigra aut fusca, *Antennæ* basi ferrugineæ: articulo secundo paullo incrassato. *Elytra* opaco-pallida, antice imprimis striata nervis pallidioribus et interstitiis nigris s. brunneis. Hæc autem pictura in individuis diu adservatis minus perspicua. Fascia tamen elytrorum apicis alba distinctissima, macula ferruginea terminata. Membrana apice infuscata. *Alæ* cærulescentes.

12 C. *triguttatus* niger elytris brunneis: fasciis duabus albissimis; antennis fuscis.

Cimex 3-guttatus Linn. Syst. Nat. 2. 729. 94.

Mas & Fem. In pascuis aridis, ad radices graminum,

et in umbellatis capitur, at rarior occurrit. Statura linearis, longitudine *Phyt. arbustorum*, inter minores hujus generis. — *Corpus* molle, nigrum, glabrum. *Antennæ* fuscæ, vix nisi simplices. *Caput* et *thorax* nigra. *Elytra* pulchre brunnea, bifasciata: fasciis albissimis, anterior e duabus constans maculis, posterior in singulo elytro unica tantum macula gaudet. *Pedes* testacei. *Alæ* albæ nitentes.

β *Elytris pallescentibus.*

13 *C. virens* viridis, supra pilosus: thoracis collari nigro-binodoso; antennis fuscis; pedibus testaceis.

Capsus virens Mon. Cim. Svec. 102. 12.

Mas. In Vestrogothia a D. Gyllenhal detectus. *Capsi mutabilis* longitudine, sed eo multo angustior.— *Antennæ* obscuræ vix incrassatæ. *Thorax* antice nigricans seu collare nodoso nigro ornatus, postice viridis. *Elytra* viridia, pilosa. *Abdomen* supra nigrum, *Pedes* toti testacei: tibiis spinosis.

Fem.

Not. Pauciora tantum inspeximus specimina exsiccata. Color elytrorum viridis in exsiccatis diutius conservatur; tandem vero pallescit.

14 *C. bilineatus* virescens supra pilosus, pallidus; scutello fusco: margine utrinque pallido.

Capsus bilineatus Mon. Cim. Sv. 102. 13.

Mas & Fem. similes. A Nobil. D. Gyllenhal detectus. Statura *C. virentis*. *Corpus* (exsiccati) virescens,

supra pallidius: *elytris* distincte pilosis, interne fuscioribus, lineas quasi formantibus. *Thoracis* ruga antica sæpe fusca. *Scutellum* in medio fuscum, lateribus pallidis. *Abdomen* supra et *pedes* virescentia. *Membrana* et *alæ* metallice nitent.

Not. Sexum utrumque perfecte explicatum lustravimus, plura quoque individua exsiccata, quæ diutius adservata colorem amittunt, et pallida evadunt.

15 *C. Caricis* antennis thoraceque nigris; elytris lividis interne fuscioribus, pedibus flavis.

Capsus Caricis Mon. Cim. Sv. 102. 14.

Mas & Fem. Hospitatur in paludibus Vestrogothiæ inter *Carices*; D. Gyllenhal. *Corpus* parvum, magnitudine *C. triguttati*. *Antennæ* utriusque sexus nigricantes. *Caput* intra oculos pallidum. *Thorax* niger nitidus antice verrucosus. *Elytra* hyalina pallida, interne paullo nigricantia. *Membrana* et *alæ* metallice nitent. *Pedes* pallidi, immaculati.

Mas. abdomine nigro.

Fem. abdomine flavo, dorso nigro.

Not. Uterque sexus perfecte declaratus. Specimina plura examinavimus exsiccata, viventia nulla.

16 *C. decolor* griseo-virescens supra opacus; elytris hyalinis fuscioribus; scutello unicolore antice transversim impresso.

Capsus decolor Mon Cim. Sv. 102. 15.

Mas & Fem. In campis Scaniæ aridis rarior, Esperöd. Præcedente paullo major, magnitudine sci-

licet *C. bilineati*. *Corpus* griseum l. virescens, lineare. *Thorax* antice angustior: cicatricibus duabus distinctis. *Scutellum* vel fuscum, vel virescens: linea antica impressa. *Elytra* corpore longiora, hyalina, fusca (in feminis testaceo-virentia) membranæ alisque metallice nitentibus.

Not. Differentia Speciei difficillime eruitur. Tamen a sequente: colore opaco et impressione scutelli distingui potest. Color in pallidum abit.

17 C. *roseus* virescens elytris sanguineis: margine costali albo.

Capsus roseus Mon. Cim. 113 16.

Mas & Fem. In campis arenosis prope Kivik Scan. plures legimus. Statura *C. Caricis*, *C. decolore* fere duplo minor. *Corpus* igitur parvum, virescens. *Caput* nigro-maculatum. *Thorax* antice biverrucosus, lineola media albida. *Scutellum* luteo-pictum. *Elytra* interne sanguinea, externe albida. *Abdomen* supra nigrum, margine flavum. *Pedes* pallidi.

Not. Mas hujus speciei elytris magis brunneis et corpore obscuriore sæpissime gaudet. Thorax autem et scutellum viventis sæpe virescentia. — Pulchra hæc species, colore vividum post mortem utriusque sexus fere amittit.

18 C. *globulifer* nigricans thorace triangulari elytris virentibus; globulis collaris nigris glaberrimis; femoribus nigro-punctatis.

Fem. In umbrosis a D. Boheman detecta, ad speciem a sequente diversam referenda. *Corpus* parvum, *C. triguttato* vix majus, at paullo robustius, nigrum. *Antennæ* mediocres obscuræ simplices: articu-

lo secundo ultimis vix longiore. *Caput* nigricans, scabrum. *Thorax* obscurus, scabro-punctatus, antice punctis elevatis globosis nigris nitidissimis ornatus. *Scutellum* in medio nigrum, lateribus albo-striatum. *Elytra* sordide virentia, (impresso-punctulata?) membrana albida. *Pedes* pallidi: femoribus nigro-punctatis.

Mas.

Not. Individuum modo unicum lustravimus exsiccatum. Structura thoracis fere triangularis similis est atque in *Phytocore*; at tubercula collaris globosa in *Capso* elevatiora et sæpius glaberrima, hocce Genus haud male indicare videntur. Aperte differt a *Capso collari*: figura thoracis triangulari, ut et colore diverso.

19 C. *collaris* pallescens, thorace angustato; collari gibbo duplicato; elytris membranaceis, femoribus nigro-punctatis

Capsus collaris Mon. Cim. Sv. 103. 17.

Mas & Fem. In alnetis juxta flumen, in prædio Forsmark Roslagiæ, mense Aug. 1799 plura legimus individua; in locis paludosis prope Kinnekulle a nobil. D. Gyllenhal captus. Magnitudo *C. rosei*. Frons, vertex, thoracis latera puncto uno alterove nigra. *Oculi* nigri, valde exserti. *Antennæ* simplices. *Thorax* angustatus, subteres: collari antico duplici elevato glaberrimo. *Elytra* hyalina, puncto apicis et nervo nigris, in femina vix conspicuis. *Abdomen* pallidum glabrum, in dorso magis nigrum. *Antennæ* et *pedes* pallida: femoribus subtiliter nigro punctatis. *Membrana* et *alæ* metallice nitent.

Var. β *longicollis*, *mas* major: capite thoraceque fuscis nitidissimis, abdomine fusco. Antennarum articulus primus rufescens, reliqui obscuriores. *Elytra*

et *pedes* ut in *var.* *α.* — In umbrosis a D. Boheman prope Anneberg Smolandiæ lectus. Specimen perfecte declaratum.

Sectio 3. *Feminæ apteræ.*

20 *C. ambulans* corpore nigro nitido, elytris maris griseo-membranaceis, pedibus albis; femina aptera.

Capsus ambulans Mon. Cim. Sv. 104. 18.

Mas. alatus niger nitidus. *Antennæ* setaceæ: apice albo. *Caput* et *thorax* atra glabra nitidissima. *Oculi* ferruginei. *Elytra* hyalina, margine imprimis costali subpilosa; margine interiori, puncto interdum nervisque ante apicem fuscis. Nervus costalis pallidior. *Abdomen viventis* nigro-virescens: margine superiori rufescente, *exsiccati* vel nigrum vel rufescens. *Pedes* albi: tibiis muticis.

Fem. Var. α aptera, nigra nitida: elytris abbreviatis subcoriaceis; pedibus pallidis; antennis nigris, apice capillari albis; membrana nulla.

Fem. Var. β nigra nitida capite rufo; antennis pedibusque pallidis.

Capsus rufifrons Mon. Cim. Sv. 105. 19.

Aptera, nigra nitida: capite rufo. *Oculi* exserti nigri. *Rostrum* et *pedes* albida. *Antennæ* albæ: basi primi articuli, basi apiceque articuli secundi nigris. *Thorax* æquali latitudine, convexus, capite fere duplo longior. *Elytra* abbreviata convexa: membrana nulla.

Not. Habitat hæc species valde frequens in paludosis silvæ Esperöd Scan. in fine mensis Julii. *Mas* alatus magnitudinem *C. rosei* attingit; at *Femina*

aptera, aliam possidet corporis staturam, larvæ s. pupæ similem, abdomine scilicet breviore et lateriori, elytrisque coriaceis. In humo ad radices arborum ambulans, cum mare descripto, sæpissime in copula deprehenditur. Alatam vero, in vasculo vitreo e pluribus immissis, et diu in gramine adservatis, nullam videre nobis contigit. Femina hæc, habitu ad feminam *Capsi mutabilis* nondum explicatam sat prope accedit, at plus triplo minor.

Varietas β mense Julio cum varietate *α* cohabitat. Specimina autem mense Augusto et Septembri capta, aptera quoque fuerunt. *Marem* hujus *varietatis*, a mare jam descripto diversum, nunquam invenimus; ideoque hasce varietates ad unam eandemque speciem pertinere, haud aliter atque in *Capso atro*, capite aut nigro aut rufo instructo, verisimillimum est.

C. Pteridis Mon. Cim. Svec. 105. 20. ad novum Genus, infra descriptum, transferri debet.

MIRIS *Antennæ* setaceæ, corpore vix breviores: articulo primo oblongo crasso. *Corpus* elongato-oblongum: tibiis pilosis non spinulosis.

Species hujus Generis, structura et habitu similes, *a Phytocoribus* et a reliquis recedunt: *antennis* corporis fere longitudine, articulo primo valido, crasso, tereti, tibiisque pilosis, haud spinosis, dente interdum armatis. — *Antennæ* 4-articulatæ, extus tenuiores. *Thorax* elongatus magisque compressus s. angustior quam in *Phytocoribus*. *Abdomen* capite thoraceque duplo fere longius, molliusculum. *Pedes* elongati, simplices. *Membrana* hemelytrorum similiter nervosa, atque in *Phytocore* et in *Capso*.

Differentia sexus, facillime detegitur, in *Mire* si-

milis atque in *Lygæo*, *Anthocore*, *Geocore*, *Phytocore* et *Capso*.

Victus in gramine pratorum, ubi *larvæ* ætatis diversæ frequentissime occurrunt. *Individua* perfecte explicata in arvis et in pratis mense Augusto et Septembri, imprimis obvia. *Feminæ* autem ante perfectam explicationem gravidæ sæpissime observantur.

Not. *Tibiis* pilosis, nec longitudinaliter spinosis, adjectis ceteris notis characteristicis, *Genus* nostrum *Miris* a *Phytocore* facile distinguitur; hinc ratio, ob quam quædam, a Cel. FABRICIO cum Genere *Mire* conjunctæ, ad *Phytocores* referri debeant.

1 *M. dolobratus* flavescens pilosus nigro-variegatus: vertice litura rotundata, postice cruciformi nigra notato.

Cimex dolobratus Linn. Fn. 959 verus; non Fabr. *Miris* MON. Cim. Sv. 107. 1. (*M. abbreviatus* WOLFF Cim. 3. 116. t. 11. f. 110. femina.) *Miris lateralis* FABR. Rhyng. 254. 3. Wolff Cim. 3. 115. t. 11. f. 109.? mas.

MAS & FEM. Habitat frequens in arvis et in pratis, mense Aug. et Sept. inter longiores *Cimicides* nostræ Faunæ adnumerandus. *Corpus* elongatum pilosum, flavo-nigroque variegatum. *Antennæ* et *pedes* hirsuta, magis minusve infuscata: femoribus plerumque nigro-punctatis, tibiis pilosis. *Caput* signo ♀ verticis nigro in utroque sexu notatum raro confluente, speciem hanc a conspeciebus optime distinguente. *Thoracis* maculæ oblongæ laterales nigræ. *Scutellum* punctis 2 baseos nigris, apice flavum. *Abdomen* flavescens, subtus linea ventrali et laterali utrinque nigra, supra variegatum. *Membrana* et *alæ* nigredine tinguntur.

Pupa femina: elytris abbreviatis, abdomine supra et subtus in serie nigro-punctato, litura capitis distincta. Haud raro in copula observata.

Not. Elytra *maris* in parte interiori sæpe fusco-brunnea, in exteriori lutescentia. Pili hujus speciei, imprimis in antennis pedibusque densiores, quam in sequente. Color autem flavescens in exsiccatis valde pallescit. *Antennæ* corporis longitudine.

2 *M. ferrugatus* virescens pilosus: vertice litura antice rotundata postice non cruciata notato; elytris pallide ferrugineis.

Miris ferrugatus Mon. Cim. Sv. 107. 2. (*M dolabratus* Fabr. Rhyng. 253. 1. Ent. Syst. 183. 1 forte.)

Mas & Fem. Habitus et magnitudo *M. dolabrati*, cum eo cohabitans, valde frequens. — *Antennæ* rufescentes, nigro-hirsutæ, corporis fere longitudine. *Caput* signo ♀ nigro in vertice notatum. *Thorax* subnudus, flavus: maculis 2 oblongis brunneis. *Scutellum* flavum s. fuscum; lineola disci transversim impressa. *Elytra* obsolete ferruginea. Membrana et alæ nigricantes. *Corpus* subtus virescens: lateribus sæpe ferrugineis. *Pedes* pallidi hirsuti: femoribus nigronebulosis. *Larva* elytrorum rudimento, magis rufopicta: abdomine subtus lineis tribus sanguineis notato.

Not. Color post mortem mutatur; at pictura verticis nigra speciem facile distinguit.

3 *M. longicornis* viridis subnudus: thorace læviusculo impunctato: lateribus elevatis; femoribus inermibus.

Miris longicornis Mon. Cim. Svec. 108. 3.

Mas & Fem. In Vestrogothia a Nobil. D. Gyllenhal. Statura et magnitudo præcedentium; at anten-

næ longiores, totius corporis longitudine: articulo primo subhirsuto, ceteris nudis, fuscis. *Thorax* vix impresso-punctatus, margine tamen distincte elevato et lineola media elevata per scutellum transeunte instructus. Elytra immaculata. *Pedes* inermes, nec nisi brevissime hirsuti. *Corpus* viride, nudum; post mortem sæpe pallescens.

4 *M. lævigatus* discolor: antennis tibiisque hirsutioribus; thorace punctulato; femoribus muticis.

Miris lævigatus Fabr. Rhyng. 253. 2. Ent. Syst. 4. 184. 2. *Cimex lævigatus* Linn. Fn. 958.

Mas & Fem. Juxta agros Scaniæ copiosissimus, mense Augusto et Septembri. Statura priorum. *Antennæ* pilosæ, dimidio corpore longiores. *Thorax* impresso-punctulatus, maculis sæpe 2 oblongis obscuris; vel postice transversim fuscior: lineola media elevata pallidiori, scutellum quoque transeunte. Margo thoracis minime elevatus. *Corpus* nudiusculum, pallide griseum, vel testaceum, vel virescens: macula pectoris sæpe nigra opaca. *Abdomen* sæpius supra nigrum, subtus pallidum, lineis plerumque lateralibus sanguineis, in exsiccatis sæpe evanescentibus. *Elytra* corpori interdum concolora; membrana et alæ metallice nitent. *Pedes* pallidi: tibiis distincte hirsutis.

Larva rudimento elytrorum pallido, lineis lateralibus subtus et supra abdomen sanguineis.

Varietates hujus Speciei:

α *pallescens* lineis abdominis lateralibus sanguineis vel nullis. *Mas* & *Fem.*

β *grisescens* elytris interne fuscioribus substriatis, margine albidis; abdomine subtus lineis ventrali et lateralibus mox nigro-punctatis, mox fuscis, mox nullis. *Mas.*

γ lutescens elytris pedibusque concoloribus; abdomine supra et macula pectoris nigra; (femoribus rarius nigro-punctatis) *Fem.*

δ virescens elytris interne pallidioribus; antennis apice et plantis rufis. *Fem.*

Not. Varietas *δ* a *M. ruficorni* differt: et magnitudine multo majori et nuditate antennarum. Color autem viridis sæpe pallescit vel lutescit. A *Mire longicorni* differt hæc species: antennis longioribus, impressione thoracis etc. A *M. calcarato:* femoribus posticis inermibus.

5 *M. calcaratus* virescens aut pallescens: thorace confertim punctulato; femoribus posticis bispinosis.

Miris calcaratus Mon. Cim. 110. 5.

Mas: pallescens, antennis pedibusque subpilosis, femoribus posticis fusco-punctatis; apice subtus spinis duabus, postica breviori armatis. Variat et *thorace* lineis 2 latioribus fuscis, vel macula postica transversa nigra, et *abdomine* pallido vel fusco.

Fem: virescens, antennis pedibusque subpilosis femoribus posticis fusco-punctatis bispinosis; antennis apice et plantis rufis; corpore subtus viride, elytris totis concoloribus.

Miris virens Fabr. Rhyng. 254. 7. Ent. Syst. 4. 185. 6. *Cimex* Linn. Syst. Nat. 2. 730. 102. forte.

Utrique sexui conveniunt armatura femorum posticorum, lineola thoracis scutellique subelevata, dorsum abdominis et macula pectoris opaca nigra, membrana et alæ metallice albicantes.

Not. Cum *Mire lævigato* facillime confunditur,

nisi spinas femorum posticorum, a nobil. D. Gyllenhal primum observatas, consideraveris. — Color feminarum viridis non nitidus, post mortem conservatur. Dantur forsitan varietates aliter coloratæ a nobis nondum observatæ. Pilositas antennarum, tibiarumque non aliter ac in antecedentibus adest.

6 *M. erraticus* supra pallescens s. virescens thorace læviusculo albo-striato scutelloque fuscis; elytris margine pallidioribus, femoribus muticis.

Cimex erraticus Linn. Fn. 961. *Miris hortorum* Wolff Cim. 4 160. t. 16. f. 154.

Mas & Fem. Habitat juxta agros demessos, mense Septembri Esperöd, sat frequens. In umbrosis Vestrogothiæ rarior D. Gyllenhal. — Longitudo præcedentis, at mas semper angustior. *Antennæ* corporis longitudine, subpilosæ. *Thorax* niger: margine et stria disci unica vel tribus albis. *Scutellum* nigrum lineola media alba vel nulla. *Elytra* in parte interiori longitudinaliter fusca. *Membrana* parum infuscata. *Alæ* æneo-nitent.

Mas griseo-pallescens: corpore nigricante.

Fem. viridis, capite abdominisque dorso nigris, elytris intus nigricantibus, extus læte viridibus. *Thorax* utroque in sexu niger, variat: lineolis in margine tribus et in masculo lineola sæpe unica pallidis.

Not., Thoracis puncta impressa obsoletiora, quam in *Mire lævigato*. Speciem hanc ab omnibus aliis esse diversam jure meritoque existimamus.

7 *M. holsatus* pallidus, antennis nudis, femoribus muticis; thoracis lineis duabus elytrorumque margine interiori fuscis.

Miris holsatus Fabr. Rhyng. 254. 4. Ent. Syst. 4. 184. 4. Mon. Cim Sv. 111. 7.

Mas & Fem. Habitat cum conspeciebus alatis, sat frequens. Præcedentibus paullo minor et brevior. *Antennæ* elongatæ, pallidæ, nudæ. *Thorax* pallescens, subpunctulatus: maculis oblongis late nigris. *Elytra* vel pallida vel obsolete viridia, interne longitudinaliter fusca. *Corpus* exsiccatum subtus exalbidum: pectore concolore. *Abdomen* dorso nigrum: margine lutescente. *Pedes* pallidi. *Femora* mutica, obsolete fusco-punctata. *Tibiæ* pilosæ. *Alæ* æneo-nitent.

8 *M. ruficornis* viridis, antennis nudis plantisque rufis.

Mas & Fem. colore similes. In copula sæpe observantur. In arvis prope Kivik Scan. mense Julio & Augusto longe frequens. Species omnino distincta, e nostratibus minima. Statura præcedentium, at brevior, angustior et minor. *Corpus* lineare, viride. *Antennæ* rufæ, non hirsutæ, corporis vix longitudine. *Thorax* punctatus; linea media elevata vix ulla. *Elytrorum* (in vivis) margo albidior. *Tibiæ* subnudæ: plantis rufis. *Alæ* viridi-nitent.

Larva. Imagini similis, elytris alisque nullis.

9 *M, ferus* griseus, thoracis antico interrupte rugoso: linea media longitudinali femorumque maculis transversis fuscis.

Cimex ferus Linn. Fn. 962. *Miris ferus* Fabr. Rhyng. 255. 11. Ent. Syst. 4. 185. 10. pallidior, adultior.

Var. β elytris subcompletis, alarum rudimento.

Miris vagans Fabr. Rhyng. 255. 12. Ent. Syst. 4. 185. 11. fuscior, junior.

Mas & Fem. In agris mense Augusto et Septembri copiosissime habitans; a conspeciebus statura paullo discrepans: thoracis antico paullo magis coarctato, abdomine versus apicem paullo latiori, genitalibus feminæ magis profunde sitis, ut et antennis tenuioribus. *Corpus* griseum. *Antennæ* subpilosæ, testaceæ, dimidio corpore parum longiores. *Thorax* angustatus, antice interrupte rugosus: linea media fusca. *Elytra* grisea, nervis elevatis et punctis aliquot nigris instructa: *membrana* albida, fusco-nervosa. *Alæ* albæ. *Abdomen* subtus vel griseum immaculatum, vel testaceum fusco-lineatum, pube brevissima vestitum; supra nigrum testaceo-marginatum. *Femora* antica crassiora, transversim fusco-maculata, postica longiora fusco-punctata. *Tibiæ* hirsutæ.

Larvæ a structura imaginis subsimili facile dignoscuntur; adultiores larvæ Imagines magnitudine multo superant.

ε *Membrana elytrorum aut ramoso-nervosa aut nulla.*

17 Aradus. *Antennæ* cylindricæ. *Corpus* dilatatum depresso-applanatum: *capite* spinoso, *thorace* carinato; *membrana* elytrorum ramoso-nervosa.

Species hujus Generis, victu et structura corporis similes, genus naturale formant. *Corpus* oblongum, depressum dilatatum: margine plerumque secto. *Caput* parvum: *fronte* in cornu producta, obtusa, spina utrinque, intra *oculos* globosos et frontem sæpissime distincta. *Antennæ* validæ, breves, cylindricæ, 4-articulatæ, scabræ, intra spinam et frontem productam insertæ. *Thorax* capite semper latior, marginatus, carinis 6 (distinctis 4) elevatis, sulcos formantibus, instructus (ultima specie excepta.) *Scutellum* magnum, oblongum: lateribus interdum elevatis. *Abdomen* tho-

racis latitudine, at postice sæpius magis dilatatum, margine utrinque sectum. *Elytra* plana, elevato-nervosa; ex his nervis duo formant annulum oblongum. *Membrana* rite explicata nervos continet 3 s. 4 longitudinales, qui inter se ramosi reticulatim conjunguntur. *Pedes* validi (in nostris speciebus) simplices: tibiis muticis.

Sexus differentia: *Mas* operculo sub ano breviori et magis elevato; *femina* operculo longiori vix elevato, rima sæpius clausa, ano quoque acutiori dignoscitur.

Vivunt intra cortices arborum emortuarum, præsertim in silvis Septentrionis. Etenim in Scania, præsertim in locis minus silvestribus, vix nisi una alterave species rarissime a nobis detecta fuit.

Alimentum forsitan potius e suctu animalculorum s. larvarum intra cortices viventium, quam e succo quodam vegetabili.

Feminas maribus majores semper invenimus.

1 *A. betulinus* sordide nigricans: thoracis lateribus denticulatis non diaphanis, elytris unicoloribus, postice coarctatis.

Aradus betulæ Fabr. Rhyng. 119. 11. ubi synonyma Linn. et De Geer delenda sunt.

Mas & Fem. *Mire dolabrato* non longior, at multo latior, in silvis Vestrogothiæ, Vermlandiæ etc. obvius. — *Corpus* nigricans, minime nitidum. *Antennæ* crassæ nigræ: articulo primo brevi, secundo ultimis duobus longiori. *Thorax* carinis disci quatuor distinctioribus; margine denticulatus. *Elytra* antice dilatata, postice coarctata, abdomen haud tegentia: membrana fusco-nebulosa. *Abdomen* sub alis ferrugineum, in margine imbricatim quasi sectum: angulis segmentorum albis. *Pedes* obscure ferruginei.

2 *A. corticalis* sordide nigricans, thoracis lateribus denticulatis non diaphanis; elytris basi pallidis.

Aradus corticalis Fabr. Rhyng. 119. 9. *Acanthia corticalis* Ent. Syst. 4. 72. 21. Wolff Cim. 3. 87. 81. t. 9. f. 81. *Cimex* Linn. Fn. 917.

Mas & Fem. Magnitudo et descriptio omnino *A. betulini*; at *thorax* postice in margine paullo pallidus et basis *elytrorum* extus pallida, subdiaphana. Articulatio et crassities antennarum eadem atque in præcedente. Latera quoque thoracis similiter denticulata, non pellucida. *Pedes* obscure ferruginei.

3 *A. Betulæ* sordide nigricans, thoracis lateribus denticulatis pallide subdiaphanis; elytris griseo-fusco-variis.

Cimex Betulæ Linn. Fn. 918. De Geer Ins. 3. 305. 36. tab. 15. fig. 16. 17. (figura nimis parva.)

Mas & Fem. Sub cortice *Betulæ albæ* Vermlandiæ haud infrequens. Facies et magnitudo omnino antecedentium; at antennæ paullo longiores et tenuiores: articulo secundo ultimis fere duplo longiori. *Thoracis* margines distinctius denticulati, pallidi, subdiaphani, pars posterior thoracis interdum quoque pallescit. *Elytra* obscure grisea, fusco-nebulosa. *Abdomen* nigricans, supra variegatum. *Pedes* obscuri.

Var. β Antennarum articulo tertio albo, s. pallido, annulum formante.

Aradus annulicornis Fabr. Rhyng. 118. 7.

Not. Præter annulum antennarum, in omnibus ceteris cum *A. Betulæ* descripto adcurate convenit.

4 *A. brevicollis* obscure niger: thorace brevi, ante marginem depresso, lateribus elevatis subtilissime crenulatis non diaphanis.

Aradus brevicollis Mon. Cim. Sv. 33. 4.

MAS. In Vestrogothia a D. GYLLENHAL detectus. Statura præcedentium; at difficillime ab eis dignoscitur, nisi thoracem brevem conspexeris; nam duplo latior est longitudine: lateribus ita excavatis, ut extimus margo fiat elevatior; margo anterior inæqualiter dentatus; lateralis vero, ut et margo extimus elytrorum anterior subtilissime crenulati. *Abdomen* in margine pro incisuris albo-punctatum. *Elytra* obscura et *membrana* abdomen fere totum tegunt. *Pedes* obscuri. *Articuli* antennarum lineares, primus et ultimus breves, secundus longior.

FEM.

Not. Duo tantum specimina inspeximus.

5 *A. erosus* obscure niger: thorace versus caput angustiori, lateribus non elevatis: summo margine eroso non diaphano.

Aradus erosus Mon. Cim. Sv. 33. 5.

MAS. E Vestrogothia a D. GYLLENHAL ad nos missus. Specimen alterum ab alio Collectore inventum, adcuratius examinavimus. Statura maris *A. corticalis*, at thoracis figura alia, et cum *Arado lugubri* magis conveniens. *Antennæ* breves, capite scilicet et thorace breviores, nigræ, validæ: articulo secundo ultimis fere breviori. *Corpus* nigerrimum, opacum unicolor. *Thorax* antice quam postice angustior: marginibus subtiliter denticulatis. *Membrana* nigricans, pro nervis paullo hyalinata. *Pedes* nigri.

FEM.

6. *A. varius* rufescens: thoracis lateribus denticulatis pallide subdiaphanis; elytris rufo-fuscoque variis.

Aradus varius Fabr. Rhyng. 120. 17. *Acanthia* Ent. Syst. Suppl. 526. 26.

Mas & Fem. Statura *A. corticalis*. *Corpus* rufescens. *Antennarum* articulus secundus in mare ultimis vix longior, in femina autem paullo longior; articuli tres ultimi apice pallidi. Thoracis margo utrinque elevatus, albidus, pellucidior. *Elytra* fusco et rufo irrorata aut nebulosa, rufo-nervosa; in margine antico albo-pellucida, postice in femina magis angustata quam in Mare. *Abdomen* subrufescens fusco-variegatum, *pedibus* concoloribus.

Not. Species distincta videtur. Pauciora modo lustravimus individua.

7 *A. depressus* rufescens, thoracis lateribus inermibus: macula antica elytrorumque basi albis.

Aradus depressus Fabr. Rhyng. 119. 10. *Acanthia* Ent. Syst. 4. 72. 22. Wolff Cim. 4. 129. t. 13. f. 123.

Mas & Fem. In silva Esperöd Scan. rarior, excipulo e gramine captus. — In Vestrogothia, D. Gyllenhal. Præcedentibus parum minor. *Caput* et *thorax* sordide nigra. *Antennarum* articuli subæquales, ultimus apice albus. Latera thoracis mutica (haud denticulata) margine antico macula alba diaphana notata. *Elytra* margine antico albo-pellucida, postice fusco-varia; membrana nebulosa. *Abdomen* totum plerumque rufum. *Pedes* concolores.

Not. Elytra hujus Speciei magis membranacea magisque pellucida, quam in conspeciebus supra allatis. — Annulus elevatus elytrorum Fabr. e duobus nervis adnexis constans, pluribus speciebus communis est nota.

8 *A. lugubris* niger opacus, thoracis margine inermi; elytris nigro-nervosis abdomen æquantibus.

Mas & Fem. E Vestrogothia D. Gyllemhal; e Finlandia, D. Sahlberg. Statura præcedentis. *Corpus* opacum nigrum. *Antennæ* spinis capitis insertæ: articulo tertio apice albo. *Thorax* margine non denticulatus nec diaphanus, a conspeciebus hanc speciem mox distinguit. Carinæ thoracis 4-ordinariæ adsunt. *Scutellum* triangulare: margine utrinque elevato. *Elytra* nigro-nervosa, abdominis longitudine; membrana-fusco-grisea. Segmenta abdominis singula sex utrinque pro incisuris albo-punctata. *Alæ* metallice nitent. *Pedes* nigri: femoribus æqualibus.

9 *A. rugosus* "elytris pallidis, corpore oblongo, femoribus anticis crassissimis."

Aradus rugosus Fabr. Rhyng. 116. 1. *Acanthia* Ent. Syst. 4. 72. 19. *Cimex* Linn. Fn. 916. Syst. Nat. 717.

Species nobis incognita; eam autem crassitie femorum anticorum a reliquis jam descriptis, in quibus femora omnia eandem et similem habent crassitiem, esse distinctam, jure meritoque existimamus. Descriptionem, quam in Fauna Svec. attulit Cel. á Linné, adjungere lubet: "*Corpus* medium, valde oblongum. *Elytra* longitudine abdominis (pallida, abdomen occultantia) ab apice scutelli ad apicem elytrorum in-

teriori margine membranacea, nec ultra. *Femora* anteriora et crassiora et quasi transverse striata." Linn.

---

10 *A. lævis* niger, abdomine brunneo, thoracis antico lateribusque truncatis, muticis.

Aradus lævis Fabr. Rhyng. 119. 12. *Acanthia* Ent. Syst. 4. 73. 25.

Mas. Ex Ostrogothia in *Betula alba*, D. Gyllenhal. — Species inter nostrates minima. *Corpus* planum, nigrum: abdomine pedibusque obscure ferrugineis. *Antennarum* articulus primus crassior secundusque breves, globosi; tertius quartusque paullo longiores. *Thorax* subquadratus, planus, superficie tamen inæquali, absque rudimento carinarum. *Elytra* membranacea, ad basin albida, similiter atque in rudimento elytrorum nondum rite explicatorum. *Abdominis* margo integer: incisuris coadunatis.

Fem.

Not. Inter rariores adnumeratur hæc species. Unum modo alterumve specimen examinavimus. At femina, pro specie rite definienda, deest.

---

18 Acanthia. *Antennæ* filiformes, extus tenuiores. *Corpus* depresso-applanatum, rotundatum (apterum.)

Species hujus Generis binas indicat Fabr. in Systemate Rhyngotorum, altera aptera apud nos, altera semialata in America meridionali domestica: *corpore* parvo, depresso, plano, *oculis* globosis, *thorace* brevi, marginato, *abdomine* dilatato, margine acuto, *pedibus* brevibus, validis.

Nomen Generis ab *ἀκανθά* (*spina*) desumsit Cel, Fabricius, verisimiliter propter punctionem insecti, Forsitan convenientius judicabitur nomen *Clinocoris*; (Germanice *Bettwanze*.)

1 *A. lectularia* corpore aptero ferrugineo.

Acanthia Fabr. Rhyng. 112. Ent. Syst. 4. 67. 1. *Cimex lectularius* Linn. Fn. 909. De Geer Ins. 3. t. 17. f. 9. Stoll. Cim. 2. t. 19. f. 131. ceterique Auctores, in Syst. Rhyng. Fabr. commemorati.

Descriptio Speciei: *Differentia sexus* forsitan eadem et similis atque in *Arado*. — *Corpus* ferrugineum, rotundatum, in margine præsertim pilosum. *Antennæ* filiformes 4-articulatæ: articulo primo brevi, crassiori, secundo elongato, ultimis duobus tenuissimis, secundo longioribus; intra oculos et frontem breviter exsertam, fere ut in *Arado*, insertæ. *Caput* parvum: oculis rotundis, prominulis. *Thorax* capite latius, pro receptione capitis antice late emarginatus, latere utrinque marginato, elevato; postice subtruncatus. *Elytra* nulla. *Abdominis* segmenta 8: primo opposito sterno, rudimento elytrorum quasi tecto. *Pedes* validi, et *antennæ* brevissime et confertim pilosa.

Not. Hæc species, svethice *Vägglus*, *Skäckta*, in domibus valde molesta, nec apud nos extra domos visa, nisi in silva, una cum vespertilionibus, semel a Cel. Prof. D. Doct. S. Ödmann inventa. vid. *Acta Holm.* 1789. In parte Scaniæ meridionali nondum apparuit. — Hoc insectum europæum non esse, in regiones quasdam ad initium nostræ Æræ advenisse fertur, in Anglia 1670 primum visum. — In Svecia et domos ligneos et lapideos incolit *Acanthia lectularia*, aptera. Fertur tamen, fuisse individua alicubi observata, alata, et tempore nocturno volantia. Animal præterea tardum, nocturnum et sanguisugum

variis remediis, ancipiti successu adhibitis, depellitur; vix tamen sine munditie observata quidquam efficitur. Nidore carbonum, oleo Therebinthinæ accenso, oleo Vitrioli, Tabaci, Cannabi etc. virgulis *Prudi padi*, *Mentæ arvensis* vegetis, in parietibus positis depelli posse, et a punctione, emplastro e sperma Ceti facto, corpori imposito abstineri, perhibitum fuit. Magis notabile forsitan id, quod a D. D. Kühn (v. *Naturforscher* St. 6. Halle, narratur. Individua scilicet 6 vel 8. *Cimicis bidentis* in conclave immissa, ibidemque aliquot hebdomadas retenta, omnem Acanthiæ turbam, et quotquot fuerint, necarunt. *Reduvius personatus*, *Cimex rufipes* et aliæ species majores, frequenter obviæ, huic quoque usui inservient.

---

19 Tingis. *Antennæ* subclavatæ: articulo tertio longissimo. *Corpus* depressum, *nervis* confertis supra reticulatum: interstitiis punctiformibus.

Corpus parvum et minutum, ovatum, planiusculum depressum. *Antennæ* thorace interdum longiores, 4-articulatæ, aut nudæ, aut pilosæ: articulo primo et secundo brevissimis, tertio longissimo, ultimo aut clavato, aut crassiori. *Caput* parvum, insertum, antice spinis sæpe armatum. *Rostrum* canali hianti insertum. *Oculi* prominuli. *Thorax* et *hemelytra* tota confestim et reticulatim nervosa: interstitiis sæpe rotundatis s. punctiformibus. *Thorax* quoque postice in *scutellum* producitur; at in *Tinge capitata* scutellum est discretum. Latr. Præterea *thorax* vel distincte vel rudimento carinatus: carinis scilicet subtribus, in ultima sectione obsoletis, vix ullis. *Elytra* plerumque membranacea: membrana tenuiori apicis aut nulla, aut minus distincta. *Pedes* validi, vix nisi nudi? —

Genus singularis structuræ, species paucis excep-

tis, non nisi rariores et rarissimas in se continet. — *Feminæ* a Maribus diversæ: rima brevi in segmento anali.

Imagines in floribus, sæpius ad radices arborum et sub lapidibus, una cum larvis, vitam degunt, tarde se moventes.

Sectio 1. *Thorace distincte carinato*

α) Antennis nudis.

1 *T. costata* supra pallida, abdomine fusco; elytris in medio dilatato-subangulatis.

Tingis costata Fabr. Rhyng. 125. 2. *Acanthia* Ent. Syst. 4. 77. 39. Panz. Fn. Germ. 23. t. 23 *Cimex clavicornis* Linn. Fn. 911. Confr. Reaumur Ins. 3. t. 34. f. 1—4.

Mas & Fem. In plantis sepium Esperöd Scan. excipulo capta; in prædio Höberg Vestrogoth. mense Augusto A. 1807 frequens. Sequentibus paullo major. *Corpus* (adulti) ferrugineo-fuscum. *Oculi* nigri. Margo *thoracis* et *elytra* punctis diaphanis, nervis reticulatis maculisque aliquot obsoletis fuscis, (in exsiccatis plerumque deletis) imprimis in margine notata, quibus tamen juniores carent. *Antennæ* ferrugineæ: articulo ultimo crasso ovato nigro. *Pedes* ferruginei.

Not. Statura *T. costatæ* a statura *Tingis Cardui* non discrepat nisi thorace magis angustato elytrisque in medio costæ in angulum obtusissimum quasi dilatatis. Color pro ætate variat. Nomen *specificum* Linn. hujus speciei a clava antennarum desumtum, in plerasque species hujus Generis quadrat.

2 *T. Cardui* supra grisea, thoracis margine tenui elevato; elytris maculis fuscis sparsis.

Tingis Cardui Fabr. Rhyng. 125. 3. *Acanthia*

Ent. Syst. 4. 77. 42. *Cimex* Linn. Fn. 920. De Geer Ins. 3. 309. 38. t. 16. f. 1.

Mas & Fem. Habitat in Cardui capitulis frequens, in Scania et in Vermlandia. *Corpus* viventis magis minusve fusco-griseum. *Antennarum* articulus tertius et *pedes* plerumque ferruginei. *Thorax* latitudine elytrorum: margine tenui elevato, pellucido, eamque ob caussam hæc species a sequente facile distinguitur.

3 *T. Humuli* fusca, thoracis margine incrassato pallido, elytris griseis maculis fuscis sparsis.

Tingis humuli Fabr. Rhyng. 126. 7. *Acanthia* Ent. Syst. 4. 77. 43.

Mas & Fem. Habitat frequens in gramine arvorum Esperöd, tempore prior *Tinge Cardui*, cum qua facillime confunditur, nisi margines thoracis dissimiles observantur. Statura et magnitudo eadem et similis. *Caput* nigrum. *Antennarum* clava nigra. *Thorax* niger, margine incrassato valido; carina media distincta, ceteris obsoletis. *Elytra* grisea, maculis minutis nigris sparsa. *Corpus* nigrum. *Pedes* sæpius nigri: tibiis luteis.

4 *T. 4-maculata* brunnescens: costa elytrorum alba; in medio fusca; pedibus ferrugineis.

Acanthia 4-maculata Wolff Ic. Cim. 13 f. 127. D. Prof. Sahlberg.

Mas & Fem. Rarior capta ad Aboam et Yläne a Cel. D. Sahlberg. — Statura et magnitudo *Tingis Cardui*, a reliquis nostratibus species certe diversa.—

Antennæ ferrugineæ: articulo ultimo clavato nigro. *Thoracis* margo utrinque incrassatus, ut in *T. Humuli*, (non attenuatus): carinis tribus dorsi per scutellum transeuntibus, e quibus exteriores apicibus albis terminantur. *Elytra* brunnea, subtilissime reticulatim nervosa: *margine exteriori* s. *costa* antice et postice alba, fusco-reticulata, quæ igitur quatuor constituunt maculas Wolffii; costa autem in medio fusciori. *Pedes* obscure ferruginei.

5 *T. nigrina* obscura, elytris thorace latioribus cinereis, fusco-nervosis.

Tingis nigrina Mon. Cim. Sv. 37. 4.

Fem. E Finlandia, D. Sahlberg. *T. humuli* paullo minor. *Caput* nigrum: antennis brevibus clavatis. *Thorax* tricarinatus, versus caput angustior; margine tenui reticulatim nervoso. *Elytra* thorace latiora, cinerea, diaphana, immaculata, nervis tantum nigris subtilissime reticulata. *Abdomen* et *pedes* obscure ferruginea. Alæ metallice nitent.

Mas.

Not. Unicum modo individuum a nobis lustratum, ad speciem genuinam jure meritoque referendum.

6 *T. parvula* ferruginea, supra grisea nigro-nervosa; elytris æqualibus immaculatis.

Fem. In Esperöd Scan. ad radices arboris duo legimus individua. Figura corporis similis atque in *Tinge Cardui*, at magnitudo plus duplo minor. *Corpus* ferrugineum, supra obscure griseum, subtilissime reticulatim nigro-nervosum, immaculatum. *Antennæ* breves, clavatæ. *Thorax* tricarinatus, marginatus. *E-*

lytra æqualia, nullis scilicet nervis longitudinalibus cariniformibus, (ut in *Tinge pusilla*) instructa. *Pedes* ferruginei.

Mas.

7 *T. cassidea* rotundata, planiuscula, supra cinerea; fronte spinulis armata.

Mon. Cim. Sv. 37. 6. (An *Cimex Musci* Schrank Ins. Austr. p. 2..)

Mas. In pratis silvaticis prædii Gyllebo Scan. unicum legimus specimen, a ceteris diversum: corpore rotundato, *Cassidam* referente, at depresso et minuto, ad Speciem distinctam referendo. Magnitudo præcedentis, latior et magis rotundata. *Antennæ* ferrugineæ, clava nigra. *Caput* nigrum: fronte supra oculos nigros spinis 2 hispidis armatum. *Thorax* margine pellucido valde exserto, latitudine fere elytrorum: carina media distincta, lateralibus vero obsoletis. *Corpus* ferrugineum. *Pedes* testacei. *Elytra* grisea subtilissime reticulata, striis 2 elevatis instructa.

Fem.

8 *T. pusilla* ovata obscura, supra cinerea: capite bispinoso, thoracis carinis tribus distinctis.

Tingis pusilla Mon. Cim. Sv. 38. 7.

Mas et Fem. In Scania olim plura legimus individua utriusque Sexus, sub lapide in sæpe plantationem Pini ambiente, ad prædium Örtofta haud procul a flumine. Item missa a Nobil. D. Gyllenhal.— Inter minutas hujus Generis, pediculo minor. *Caput* nigrum, spinis duabus verticis hispidis minutis armatum. *Corpus* obscure ferrugineum, supra aut obscure cinereum, aut nigricans subtilissime reticulatum.

An apterum? A *Tinge cassidea* distinguitur: figura corporis ovata (haud rotundata) et magnitudine minori.

9 *T. verna* supra obscura: corpore pedibusque ferrugineis, thorace scabro inæquali; elytrorum stria media altiori.

Tingis verna Suppl. Cim. Sv. pag. 16.

Mas & Fem. Ad sæpes lapideas, mense Martio 1826 a C. F. Kjellberg lecta. *Tinge pusilla* fere minor. *Antennæ* rufescentes: articulo ultimo crassiori, nigro. *Caput* et *thorax* subtricarinatus, nigra; dorsum autem thoracis quasi scabrum et inæquale. Pectus nigrum, pro luminis situ albo-micans. *Abdomen* ferrugineum; interdum fuscum. *Elytra* reticulatim nigro-nervosa, fusca s. brunnea: stria elevata longitudinali, seu carina media elytri striis marginalibus altiori. *Pedes* ferrruginei. *Alæ* nullæ.

Differt a *T. parvula*: elytris magis convexis, (nec ita depressis) ut et colore superno obscuriori. A *T. pusilla*: colore superno et stria modo media quam marginalibus magis elevata. Ab utrisque: thorace elytrisque angustioribus, thoracis lateribus scilicet non ita marginatis, nec ita rotundatis. Forsitan Species perfectiori explicationi obnoxia?

β Antennis pilosis.

10 *T. crassicornis* ferruginea, supra albida: antennis hirsutis, capite spinoso thoraceque nigris.

T. crassicornis Mon. Cim. Svec. 38. 8. An *Tingis alata* Fabr. Rhyng. 125. 2. Ent. Syst. 4. 76. 38? at thorace 4-lineato, elytrisque maculatis!

Mas & Fem. colore similes. — In gramine arvorum Esperöd, interdum sat frequens. Magnitudo *T. Cardui* paullo latior. *Antennæ* dense hirsutæ, crassæ, nigræ, thorace non longiores. *Caput* antice spinosum: spinis brevibus et *thorax* nigra. Thoracis margines tenues, exserti, diaphani, *elytra*que nervis fuscis subtiliter reticulata, immaculata. Margo autem thoracis anterior paullo inflatus. Carinæ tenues, elevatæ. *Corpus* viventis *pedes*que ferruginea.

Not. Ob densam hirsutiem non conspicitur articulatio antennarum, nec clava observari potest.

11 *T. spinifrons* antennis testaceis subpilosis, capite spinoso, thorace nigro: carina antica vesicula disci bivalvi in scutello continuata elytrisque albis reticulato-nervosis.

Tingis spinifrons Mon. Cim. Sv. 38. 9.

Mas & Fem. colore similes. In gramine rarior capta, Esperöd. In *Solano Dulcamara* in umbrosis Vestrogoth. D. Gyllenhal. In Ostrogothia, D. Zetterstedt. — *Caput* nigrum, spinis pluribus porrectis in fronte armatum. *Antennæ* tenues, parum pilosæ, thorace longiores, testaceæ: apice nigro subclavato. *Thorax* niger: margine valde alato, elevato, diaphano et reticulato; antice late emarginatus pro receptione capitis, ut et carina unica brevi, in disco vesicula valde inflata, diaphana reticulata instructus. Ab hac vesicula procedit *scutellum* inflatum, at compressum. *Elytra* diaphana, reticulata, ad basin coarctata, in medio longitudinaliter gibbosa, abdomen longe superantia. *Abdomen* et *pedes* testacea.

Not. Nomen *T. alatæ* Fabr. aut cum hac specie aut cum sequente potius forsitan convenit. At descriptio in Entom. Syst. non ita.

12 *T. foliacea* antennis ferrugineis pilosis; capite submutico, thoracis vesicula antica bivalvi carinis tribus posticis elytrisque albidis, immaculatis.

Mas & Fem. Rarior intra frutices in gramine, Esperöd. In floribus *Crysanth. leucanth.* in pratis siccis D. Gyllenhal. Magnitudine præcedentis eique sat similis, at species certe distincta. *Caput* nigrum: spinis vel obsoletis vel nullis. *Antennæ* pilosæ, tenues, capite longiores, ferrugineæ, apice nigro, subclavato. *Thorax* niger, lateribus alatis diaphanis; vesicula antica valde inflata; postice tricarinatus: carina media eminentiori per scutellum transeunte. *Elytra* diaphana, in medio longitudinaliter gibbosa, brunneis nervis reticulata, immaculata. *Abdomen* et *pedes* ferruginea.

Not. Aperte differt a *T. spinifronte*; vesicula thoracis partem modo anteriorem tegente, nec supra scutellum continuata.

13 *T. Pyri* antennis pallidis extus subpilosis; thoracis vesicula antica, et carina elevatiori albis: elytris fusco-subfasciatis.

Tingis Pyri Fabr. Rhyng. 126. 9. *Acanthia* Ent. Syst. 78. 44. Mon. Cim. Sv. 39. 11.

Mas & Fem. colore similes. — E Vestrogothia, in *Carduo lanceolato,* in tractibus silvæ cæsæ et adustæ (Svetice *Svedjefall* pro *Secale* serendo) D. Gyllenhal. In *Myrica gale* copiose lecta mense Aug. ad Vadstenam; D. Zetterstedt. Facies et magnitudo antecedentis. *Antennæ* elongatæ, tenues, pallidæ: articulo ultimo longo subcrassiori, tenuiter piloso. *Corpus* nigrum nitidum. *Thorax* niger: margine albo, utrinque alato, reticulato, antice vesicula inflata, ca-

piti incumbente, postice carinis tribus simplicibus: media distincte elevatiori scutellum transeunte. *Elytra* abdomen superantia alba, et albo-reticulatim nervosa, subbifasciata: fasciis e nervis nigris ortis. *Pedes* pallidi.

Sectio 2. *Thorace mutico.*

14 *T. capitata* grisea thorace lævi; elytris nebulosis basi albis apice membranaceis; antennis pedibusque luteis.

Wolff Cim. 3. 131. 125. t. 13. f. 124. Mon. Cim. Sv. 40. 12.

Mas & Fem. Juxta agros mense Sept. Esperöd frequens. Pediculo vix major. Statura ad *Ting. Cardui* fere accedit, licet minor. In copula observata. Uterque sexus similiter coloratus. *Antennæ* breves luteæ: articulo ultimo clavato. *Corpus* ovatum. *Caput* vel nigrum, vel luteum, spinis brevibus armatum. *Thorax* convexus, griseus, impresso-punctatus: rudimento 2 carinarum, marginibus tenuibus vix exsertis. Quædam individua maxime completa lineis thoracis tribus nigris, carinarum loco picta sunt. *Elytra* nebulosa, basi alba, maculis minutis magis minusve distinctis, nervis longitudinalibus, interstitiis minutissime reticulatis instructa. Apex membranaceus, 3-4 nervosus, hyalinus. *Alæ* completæ. *Pedes* lutei.

Var. β junior. Mas & Fem. — Capite nigro, antennis luteis, *thorace* obscuro; subtilissime impresso-punctatus: rudimento carinarum vix ullo. *Elytra* abdominis longitudine, grisea, parum aut non nebulosa; at macula ad basin alba adest, et membrana apicis deest. *Corpus* griseum, alarum rudimento.

Not. Hæc varietas frequenter obvia pro diversa specie haberetur, nisi habitum et convictum ipse conspexeris.

15 *T. læta* corpore cæruleo-atro, elytris opaco-albis; pedibus luteis.

Tingis læta Mon. Cim. Sv. 40. 13.

Mas & Fem. colore similes. — In collo declivi, *Nyvång* dicto, Esperöd, ineunte mense Septembri, minus frequens, nec alibi nobis adhuc obvia. Tempore vernali in collibus pratorum Vestrogothiæ; D. Gyllenhal. *Corpus* minutum, præcedente duplo fere minus. Species facile dignota, hujus omnino Generis. *Antennæ* 4-articulatæ clavatæ, *thorax* anteriora versus angustior, elongatus, impresso-punctatus, immarginatus, in medio linea longitudinali elevata instructus: summo margine antico albo. *Scutellum* thoraci coadunatum album. *Elytra* alba, opaca, reticulata subtilissime punctata, convexa, vix nervis conspicuis nec membrana prædita. *Alæ* in adultis completæ. *Pedes* lutei.

---

20 Bryocoris. *Antennæ* filiformes: articulis duobus ultimis attenuatis. *Corpus* ovatum: thorace simplici; *elytris* coleoptratis, convexis, membrana destitutis.

Species quædam minutæ, a reliquis Cimicidibus variis notis diversæ, ulteriori examini jam subjectæ, ad novum Genus referre voluimus. Disquisitio autem horum animalculorum, propter nimiam parvitatem, præsertim in exsiccatis, difficilis; in viventibus forsitan facili r et certior: *Antennæ* in diversa specie ex omni parte vix similes. *Corpus* autem semper ovatum, (minime depressum) convexum. *Thorax* carinis destituitur, simplex. Imprimis autem *elytra* convexa, thorace latiora, duriuscula (coleoptrata) absque membrana, observari debent; eo respectu, ab aliis *Generibus* removerentur hæ species. Locum quoque eis pone *Tinges* adsignavimus.

Differentia Sexus eadem et similis atque in *Tingę*. *Hospitium* ad radices arborum, sub *Muscis* aliisve plantis cryptogamis; unde nomen Novi Generis mutuo accepimus.

1 *B. Pteridis* corpore nigro ovato: ano albo; elytris pallidis.

Capsus Pteridis Mon. Cim. Sv. 105. 20.

Mas & Fem. colore similes. Species a Nobil. D. Gyllenhal benevole communicata, in *Pteride* inventa. *Corpus* grano Sinapis vix majus, nigrum, nitidum: ano albo. *Antennæ* elongatæ corporis fere longitudine, pallidæ. Articulus secundus basali parum longior, apice niger; articuli ultimi tenuiores, infuscati, subpilosi. *Vertex* niger. *Thorax* pallidus, collari punctiformi, ut in *Capsis*, nigro. *Scutellum* triangulare et elytra pallida, valde convexa coleoptrata, nervis conspicuis et *membrana* destituta. *Pedes* toti albi vix nisi nudi? *Alæ* nullæ.

2 *B. palustris* corpore ferrugineo semigloboso, capite rufo; elytris fusco-brunneis sericeis, pedibus pallidis.

Salda coleoptrata Mon. Cim. Sv. 31. 7.

Species omnino distincta, in arena ad lacus, etiam in gramine Vestrogothiæ a D. Gyllenhal rarior lecta. *Corpus* minutum, ferrugineum, magnitudine grani Sinapis dimidia. *Caput* parvum et *thorax* rufa. *Antennæ* pallidæ, pubescentes? *Elytra* valde convexa, nigra, nitida, abdomen semiglobosum tegentia, tomento brevi aureo obsoleto vestita; membrana et *alæ* nullæ.

Larva imagini similis, ferruginea, elytris destituta.

Not. Ob defectum plurium individuorum hanc speciem ulteriori examini esse subjiciendam facile concedimus.

3 *B. Muscorum* brunnescens, oblongus: antennis capillaribus pilosis pedibusque flavis; elytris lævibus,

Anthocoris? coleoptrata ZETTERST. Act. Holm. 1819. 74. 24.

MAS. *B. palustri* parum major, at angustior, statura scilicet magis oblongo-ovata. — Habitat imago mense Julio, in locis siccis prædii Lärketorp Ostrog. at aptera sub Muscis mense Septembri in villa *Ábusa* Scan. D. ZETTERSTEDT. Ad radices arborum Esperöd. rarissime; D. KJELLBERG.— *Antennæ* thorace longiores, pallidæ; articuli baseos reliquis crassiores; ultimi longiores tenues, pilis elongatis sparsis vestiti. *Caput* thoracis antico non latius. *Thorax* convexus, postice latior. *Scutellum* 3-angulare. *Elytra* coleoptrata, brunnea, nervis paucis longitudinalibus instructa: apice enervi. *Alæ* metallice nitent. *Pedes* pallidi. *Femora* antica ceteris parum crassiora. *Tibiæ* spinulosæ s. pilis aliquot armatæ.

FEM.

Not. Animalculum hocce *Latridio* minuto, primo intuitu sat simile, vivum examinare nobis nondum contigit.

COPIUM. Genus nobis ignotum, in Systemate Rhyngotorum FABRICII frustra quæsitum. Hujus autem Generis quatuor species commemorat Cel. THUNBERG in Dissertatione: *Insectorum Hemipterorum tria Genera illustrante* Upsaliæ 1825. Has inter species ita describitur:

"*Copium serratum* brunneum abdomine postice serrato."

"In *Sudermannia Sveciæ* rarissimum hoc insectum, jam in Museo Thunbergiano adservatum, detexit D. Joh. Pontén. *Acanthia lectularia* quadruplo minus, obscurum, totum fusco-brunneum. *Antennæ* 4-articulatæ, compressæ: articulis duobus intermediis paullo latioribus, longitudine corporis. *Rostrum* inflexum, longitudine fere corporis. *Thorax* quadratus, concavus. *Abdomen* concavum, postice latius, margine subserratum. *Pedes* æquales, inermes."

Not. Copium maculatum in Surinam habitans, depinxit Cl. Stoll Punais. tab. 22. fig. 152. Forsitan cum *Coreo* vel cum *Lygæo* a Cel. Fabricio conjunctum, haud aliter atque Genus *Pendulinus* Thunb. loc. cit. tredecim species descriptas in se continens, e quibus quatuor depinxit Cl. Stoll. l. c. nulla autem, nisi mutato nomine, a Cel. Fabricio commemorata!

Sectio II.

Thorace oblongo, coarctato.

Divisio 1:ma. *Antennæ 5-articulatæ.*

Reduvius. *Thorax* antice coarctatus; *membrana* hemelytrorum magna: areis 2 longitudinalibus s. nullis.

Corpus oblongum, inter Cimicides Svecicos sat magnum, et villosum, tardum. *Caput* parvum: collo coarctato; porrectum. *Stemmata* 2 globosa, verticalia. *Oculi* prominuli. *Rostrum* breve arcuatum. *Antennæ* thorace longiores setaceæ, 5-articulatæ, in speciebus nostris pilosæ. *Thorax* inæqualis, subteres: lobo antico distincto, coarctato, postico utrinque in speciebus exoticis sæpe spinoso. *Scutellum* breve. *Elytra* subcoriacea, abdomine angustiora: *membrana* maxima, dimidiam hemelytrorum partem constituente. Nervi hujus membranæ duas formant areas longitudinales, quarum posterior maxima terminatur nervo simplici, usque ad apicem membranæ producto. *Abdomen* supra planum: margine utrinque elevato, carinato. *Pedes* elongati: postici cæteris longiores (antici sæpius absque tarsis? Fabr.) *Tibiæ* pilosæ, non spinosæ, an semper?

Differentia Sexus eodem fere modo atque in *Coreis* facile indicatur.

Victus in quisquiliis et e rapina. Ab aliis scilicet insectis nutrimentum potissimum petunt. Loca obscura et occulta imprimis quærunt et larvæ et imagines.

Not. Antennas esse 4-articulatas in hoc Genere perperam perhibetur. Articulus enim basalis, brevissimus, revera adest absconditus.

Gen. *Zelus* Fabr. a Reduvio vix nisi inepte disjungitur. Etenim insertio antennarum structura rostri membranæque omnino eadem est et similis atque in *Reduvio*. *Corpus* modo angustius et antennæ longiores, in pluribus a nobis lustratis speciebus exoticis.

Obs. Quin articulatio antennarum aptior sit quam insertio, in Genere definiendo et discernendo, nullum est dubium.

1 *R. personatus* corpore subvilloso fusco immaculato.

Reduvius personatus Fabr. Rhyng. 267. 7. Ent. Syst. 4. 194. 2. *Cimex* Linn. Fn. 942. De Geer Ins. 3. 281. t. 15 f. 7.

Mas. Inter majores hujus Familiæ, pollicis longitudinem fere attingens. *Corpus* oblongum, fuscum, seu nigricans, pilosum. *Frons* exserta. *Oculi* magni, compositi. *Antennæ* thorace parum longiores, apice tenuiores, distincte pilosæ. *Thorax* bilobatus, in medio sulcatus, inæqualis *Scutellum* 3-angulare, scabrum. *Abdomen* supra subtestaceum. *Elytra* abdomen tegentia, nigra; nervi longitudinales per membranam continuati. *Pedes* anteriores breviusculi, crassiores, postisi longiores, valde pilosi.

Fem.

Not. Insectum hoc rarissime occurrit, vivum nondum a nobis examinatum; *larvam* tamen Holmiæ A. 1786 vidimus. Descriptionem hujus larvæ in Fauna Svec. Linn. factam h. l. afferre lubet. "*Larva* visu horrenda, tota hirsuta, lacera, cinerea, arenam vel potius terram mentiens. *Antennæ* setaceæ, nudæ: infimo articulo villoso, articulis tribus nigris. *Pedes* postici longissimi, clavati. Miro modo cursitat, nec pares pedes simul movet sub incessu, sed diversissimos. Hinc incessus valde monstrosus. Tota spurci-

tie obtecta, eamque facile deponit, quam primum penna abstergitur, unde apparet non proprios esse crines, sed mutuatos et undique corpori impositos, ne a quoquam observetur. *Victitat* raptu, edit muscas et alia insecta;" in his *Cimicem lectularium. Confr.* De Geer Ins. l. c.

2 *R. annulatus* niger, abdominis margine pedibusque sanguineis nigro-variegatis.

Reduvius annulatus Fabr. Rhyng. 271. 24. Ent. Syst. 4. 197. 16. *Cimex* Linn. Fn. 943. De Geer Ins. 3. 286. 26.

Mas & Fem. Habitat passim, sub lapidibus; in pascuis sub stercore bovino et equino sicco, et sub cortice arborum exsiccat. et putrid. Præcedenti paullo minor. *Corpus* nigro rubroque varium, hirsutum. *Antennæ* nigræ, tenues, thorace longiores subpilosæ: articulo secundo longissimo, tertio et quarto coadunatis, simul sumtis longitudinem ultimi attingentibus. *Thorax* bilobatus in medio longitudinaliter sulcatus. *Abdomen* nigrum, margine rufo nigroque varium. *Elytra* nigra: membrana maxima. *Pedes* elongati, pilosi. *Femora* antica et postica annulis 2 rufis picta, intermedia nigra. *Tibiæ* omnes rubræ. Macula alba sub ano maris in feminis deest; an semper?

3 *R. subapterus* fusco-griseus: femoribus albo nigroque annulatis.

Reduvius apterus Fabr. *R. subapterus* De Geer Ins. 3. 287. 27. t. 15. f. 10. *Larva* l. *imago incompleta.*

Mas & Fem. Habitat frequens cum præcedente eoque paullo minor. Marem alatum prope urbem

Alingås invenit D. Gyllenhal, in Ostrogothia D. Zetterstedt; in villa Esperöd rarior. *Corpus maris alatum* antice, *antennæ* et *pedes* imprimis hirsuta. *Thorax*, ut in conspeciebus, bipartitus, antice angustior, rugosus, postice dilatatior, punctato-scaber. *Elytra* corporis longitudine grisea, *membrana* maxima, æneo-fusca. *Abdomen* substus brunneum nitidum: margine obsolete albo-maculato. *Pedes* albo-annulati.

Larva fusco-grisea, abdominis margine rufo pallidove maculato, pedibus annulatis.

Reduvius apterus Fabr. Ent. Syst. Supplem. 546. 54.

Mas & Fem. *Antennæ* pilis aliquot raris instructæ. *Corpus* subtus pilosum, pro ætate variat: colore et pictura. *Majores* rudimento elytrorum instructæ opaco-griseæ: tibiarum apice rubro annulato. In aliis *Femora* pallida, annulis pluribus nigris picta. *Minores* gaudent thorace, pedibus, margine dorsoque abdominis æneo-nigro-maculatis. Hæ maculæ dorsales per lineam albam dividuntur.

Divisio 2:da. *Antennæ 4-articulatæ.*

22 Hydrometra. *Antennæ* porrectæ filiformes. *Corpus* angustatum: *thorace* in locum *scutelli* producto; *elytris* totis longitudinaliter striato-nervosis.

Species nostræ inter *Cimicides Sueciæ* majoris sunt magnitudinis: capite autem parvo, ante oculos porrecto. *Antennarum* articulus basalis brevissimus, secundus longissimus; ultimi tres subæquales. *Caput* quoque et *thorax* dimidiam corporis longitudinem faciunt. *Corpus* elongatum, breviter sericeo-pubescens, ad natandum supra aquam aptum. *Pedes* an-

tici breves, reliquis robustiores: unguibus brevissimis vix conspicuis.

Differentia Sexus ita dignoscitur: Sexus alter corniculis duobus acutis utrinque analibus gaudet; alter ejusmodi corniculis caret.

Imagines et *Larvæ* supra aquam vitam degunt, alimentum ex aliis insectis minutis, imprimis Culicibus verisimiliter petentes?

Obs. Hydrometra et *Gerris* ad tribum *Ploteres* (*natatores*) adnumeravit Cl. Latreille.

1 *H. lacustris* fusca; thorace planiusculo elongato inæquali; pedibus anticis a posteribus longe remotis.

Hydrometra lacustris Fabr. Rhyng. 256. 1. *Gerris* Ent. Syst. 4. 187. 1. Mon. Cim. Svec. 114. 1. *Cimex* Linn. Fn. 970. De Geer Ins. 3. 311 tab. 16. f. 7. Svethice *Braxenmygg.*

Mas & Fem. Currit ubique frequens supra aquas stagnantes. — *Corpus* oblongum, sublineare, in speciminibus adultis longitudinem pollicis attingens. *Rostrum* breve, arcuatum, inflexum. *Thoracis* linea media elevata et nodi 2 postice in margine elevati. *Scutellum* thoraci coadunatum, convexum, marginatum. *Elytra* plana: nervis validis fuscis, interstitiis dorsoque thoracis lutescentibus. *Alæ* nitent. *Corpus* subtus fuscum vel fulvo- vel albo-sericeum. *Pedes* antici juxta caput inserti reliquis breviores et validiores; intermedii et postici longissimi, tenues, sterno adfixi; mutici omnes, basi pallidiores. — Magnitudo et color pro ætate variat:

Majora individua supra brunnea, lateribus et

nervis elytrorum fuscioribus; subtus fulvo- aut albo-sericeo nitentia; antennis pedibusque testaceis. — Individua hujus magnitudinis, elytris nondum explicatis (nullis), sæpe occurrunt, supra nigra.

Minora supra nigricantia, thoracis abdominisque summo margine luteo; subtus sericeo-nitentia; antennis fuscis, tibiis testaceis. Individua hujus varietatis et elytrata et aptera occurrunt. Cum *Hydr. paludum* Fabr. Rhyng. 258. 3. in Galliæ aquis obvia, haud confundenda.

2 *H. currens* fusca: elytris nigris, singulo maculis quatuor thoracisque duabus albissimis; abdomine subtus fulvo, margine elevato nigro-punctato.

Hydrometra currens Zetterstedt Act. Holm. 1819. p. 75. Imago (Fabr. Rhyng. 259. 12. *Gerris* Ent. Syst. 4. 193. 2. Monogr. Cim. Svec. 115. 2. Pupa l. larva).

Imago: *H. lacustri* minor elytris abdominis longitudine nigris, singulo 4-maculato. Maculæ albissimæ longitudinales binæ juxta basin, tertia infra medium disci, et quarta in medio apicis rotundata minor. *Pedes* mutici. Cetera ut in Pupa. In aquis prope prædium Högestad Scan. capta. Museum D. Zetterstedt.

Pupa l. *Larva*: *Corpus* nigrum, in certo luminis situ albo-sericeo-nitens. *Antennæ* nigræ. *Thorax* niger: lateribus subferrugineis, puncto utrinque in disco anteriori albo-nitente. *Elytra* nulla. *Abdomen* elevato-emarginatum; margine fulvo, nigro-punctato. Dorsum nigrum: linea utrinque ad latera punctorum albicantium. *Venter* in medio late fulvus.

Pedes validi nigricantes, æqualiter distantes: femoribus anticis posticisque paullo crassioribus; posticis autem in altero sexu spinis 2 lateralibus remotis, in altero muticis. Color præterea parum variat.

Not. Plura individua *aptera* in fonte silvestri Esperöd D. 21 Decemb. 1808, terra gelata et nive obtecta, supra aquam alacriter currentia vidimus.

---

23 Emesa. *Corpus* lineare: *capite thorace*que lobatis, *oculis* in collo sitis.

Caput elongatum, cylindricum. In *Emesa præcatoria* Fabr. quam lustravimus, est caput thorace brevius. E duabus tamen partibus constat; thorax quoque teres, biarticulatus. *Abdomen* lineare, marginibus elevatum: ano truncato. *Pedes* in *Emesa stagnorum* simplices, in *Em. præcatoria* autem pedes antici incrassati, articulo coxæ longo aucti, ut in *Mante* Orthopterum.

1 *E. denticollis* obscura: capite ad basin dentato; abdomine flavo: maculis utrinque ventralibus obliquis nigris.

Gerris denticollis Mon. Cim. Sv. 115. 3.

Insectum singulare a nobil. D Gyllenhal prope urbem Alingsås olim captum, ad genus *Emesa* forsitan aptius refertur? Statura oblonga *H. lacustris* qua non major, at antice angustior *Corpus* supra et *pectus* grisea, minime nitida. *Antennarum* articulus primus longus, subpilosus crassior. *Caput* elongatum teretiusculum, thoracis fere longitudine, oculis lateralibus in medio (ut in *Em. stagnorum*) insertis. *Frontis* spina inter antennas porrecta, ejusque in a-

pice, oculo bene armato, spinulæ duæ conspiciuntur. Spinula ad basin antennarum utrinque extus quoque adest. *Capitis* basis distincte dentata: dentibus versus apicem thoracis vergentibus. *Thorax* postice latior, antice angustior, capitis latitudine; supra planus: superficie tamen longitudinaliter 5-sulcata, sulco medio distinctiori. *Sternum* pro receptione rostri concavum, spina utrinque acuta antrorsum porrecta armatum. *Elytra* completa, submembranacea: membrana magna concolore, apicem abdominis non tegente. *Abdomen* ad basin latitudine thoracis, pone medium dilatatum: ano acuto, margine supero fusco, et maculis ventralibus utrinque obliquis nigris. *Pedes* flavescentes: femorum apice nigro. *Femora* antica reliquis crassiora, breviora.

Obs. Specimen e Museo Gyllenhalii olim descriptum.

2 *E. stagnorum* nigricans: capite longissimo tereti, mutico; oculis globosis in medio colli insertis.

Hydrometra stagnorum Fabr. Rhyng. 258. 6. *Gerris* Ent. Syst. 4. 188. 4. *Cimex* Linn. Fn. 971. De Geer Ins. 3. tab. 15. f. 24.

Statura linearis, angustata et elongata, antice teretiusculа. *Corpus* totum nigricans. *Antennæ* 4 articulatæ: articulo primo brevi, crassiori; articulus tertius secundo plus duplo longior. *Caput* elongatum, antice versus frontem paullo incrassatum. *Oculi* globosi, in medio utriusque lateris inserti. *Rostrum* tenue, inflexum, (non arcuatum) longitudine capitis. *Thorax* paullo crassior, teres; ei *pedes* sunt inserti. *Abdomen* planiusculum; elytris alisque nisi rudimento a nobis non visis.

Not. Plura hujus speciei individua in amne,

haud procul a plantatione Pini ad prædium *Örtofta* Scaniæ, supra aquam natantia vidimus. In sicco quoque occurrit rarior, lente procedens.

Obs. Constructio Rostri hujus speciei diversa et alia atque in *Hydrom. lacustri.*

---

24 Gerris. *Antennæ* tenuissimæ, fractæ. *Corpus* filiforme: *hemelytris* membranaceis vix striatis; *pedibus* anticis brevibus, crassis.

Corpus elongatum, tenue. *Antennæ* longitudine corporis, fractæ, subclavatæ, 4-articulatæ. *Caput* et *thorax* tertiam corporis partem longitudine vix superant. *Elytra* nebulosa, vix striata. *Pedes* elongati: coxa anticorum magna.

Imagines in fruticibus et in gramine versantur. *Differentia sexus* comparatione plurium specim num detegitur.

Obs. Articulationem antennarum quinariam, a D. Fabricio l. c. huic Generi adsignatam, non vidimus.

1 *G. vagabundus* exalbidus: capite subrotundo; elytris membranaceis contiguo-fusconebulosis.

Gerris vagabundus Fabr. Rhyng. 262. 9. Ent. Syst. 4 192. 19. *Cimex* Linn. Fn. 972. DeGeer Ins. 3. 332. t. 17. f. 1. 2.

Magnitudo Culicis vulgaris. Rarior in sicco obvius, culices sugens tardeque sese movens. — *Caput* parvum, subrotundum: rostro arcuato brevi. *Antennæ* longissimæ, filiformes, geniculatæ, in medio pedi-

busque fusco-maculatis. *Elytra* hyalina, tota fusco-nebulosa: nebulis scilicet contiguis (non sparsis) seu maculis fuscis dense irrorata. *Alæ* albidæ, immaculatæ.

2 *G. erraticus* exalbidus; capite subrotundo, elytris membranaceis, sparsim fusco-nebulosis.

Gerris erraticus Mon. Cim. Sv. 117. 6.

Habitus præcedentis, at statura duplo fere minor. *Antennæ* in medio fractæ, longissimæ, filiformes, fusco-maculatæ. *Thorax* subquadratus, inæqualis. *Elytra* alba: nebulis sparsis (non contiguis) picta. Adest macula ante medium major fusca, nervulo transverso albo divisa. *Abdomen* cinereum, in margine pallide maculatum. *Pedes* longissimi, tenues, fusco-maculati.

Not. Initio Veris in sicco occurrit rarior, tarde se movens, a *Gerre vagabundo* magnitudine minori et pictura elytrorum diversus.

---

25 Berytus. *Antennæ* fractæ. *Corpus* filiforme: *hemelytris* substriatis; *pedibus* anticis et intermediis subæqualibus.

Corpus elongatum, tenue, lineare. *Caput* cornutum et *thorax* tertiam corporis partem longitudine non superant. *Hemelytra* striato-subnervosa: membrana sat distincta. *Antennæ* et *pedes* longissima et tenuia.

Imagines in gramine versantur. *Differentia Sexus* comparatione plurium individuorum viventium discernitur.

1 *B. tipularius* testaceo-griseus; capitis cornu compresso, porrecto; thorace postice elevato, gibbo, elytrisque impresso-punctatis.

Berytus tripularius Fabr. Rhyng. 264. 1. *Gerris* Ent. Syst. 4. 192. 18. *Cimex* Linn. Fn. 973. Frisch Ins. 7. 28. t. 20.

Corpus subtestaceum impresso-punctatum, lineare, elongatum, magnitudine *Em. stagnorum*. *Antennæ* longissimæ, fractæ; *primus* articulus elongatus, apice clavatus, *secundus* oculo armato e duobus constare videtur, ita coadunatis, ut vix appareat articulatio; ex his anterior est longior; *ultimus* brevis, fuscus, clavatus. *Frontis* cornu prominens, compressum. *Thorax* marginatus, antice angustior, depressus, postice elevatus, inæqualis: carina media elevata. *Elytra* linearia, nervosa, punctata: membrana diaphana, in medio longitudinaliter fusco-nebulosa. *Pedes* antici et intermedii æquales, postici longissimi: femoribus omnibus apice clavatis.

Not. Parcius occurrit in gramine, excipulo captus. Nuperrime exclusus totus viridis.

2 *B. clavipes* testaceo-griseus: capitis cornu brevi, thorace plano elytrisque impresso-punctatis.

Berytus clavipes Fabr. Rhyng. 265. 2. *Gerris* Ent. Syst. 4. 192. 20. Mon. Cim. Sv. 118. 2.

Habitat in gramine sat' frequens. *B. tipulario* minor, et cum eo facile confusus, nisi superficiem thoracis planam et æqualem conspexeris, scutellumque in *B. clavipede* longius, linea tamen elevata dorsali, thoracem transeunte, instructum. *Rostrum* inflexum, non arcuatum. *Antennæ* et *pedes* ut in Spe-

cie præcedente. *Clavæ* fuscæ. *Elytra* longitudinaliter striata.

Not. Brevitatem articuli primi Antennarum in his *Beryti* speciebus non vidimus. Articulum autem secundum in duos quasi divisum esse, evidenter in *B. clavipede* conspicitur.

HYDROCORIDES.

Rostrum capitis apici insertum.
Antennæ brevissimæ; sub capite latitantes.
Hemelytra coriacea: membrana nervosa, decussatim imposita.
Tarsi 1—2 articulati. *Cauda* biseta, elongata.

Corpus magnum, depressum, planum, aut elongatum, lineare. *Caput* parvum, rotundatum: *Oculis* prominulis, globosis. *Rostrum* breve, pungens. *Antennæ* minutæ, sub capite insertæ reconditæ. *Thorax* postice paullo latior, antice pro receptione capitis late emarginatus. *Scutellum* triangulare. *Hemelytra* coriacea, plana. *Membrana* decussatim imposita, vel striatim vel reticulatim nervosa. *Alæ* amplæ. *Abdomen* depressum: carina ventrali longitudinali. *Cauda* biseta canalem formans respiratorium sæpe longissimum. *Pedes* antici prehensiles: ungue simplici. *Tibiæ* subtus (interdum quoque *femora*) canaliculata, ciliata. *Tarsi* 1—2 articulati: ungue posticorum duplici.

Vivunt in aquis e rapina, in propriam speciem interdum sævientes.

Motus tardus. *Volatus* nocturnus.

Differentia Sexus latet.

Larvæ e structura Imaginum mox cognitæ.

Not. Genera duo Linneana, quæ *Nepa* & *Notonecta* salutantur, ad Familiam *Hydrocorisæ* adnumeravit Cl. Latreille; (v. *Genera Crust.* et *Insect.* 1807. T. 3. p. 142.)

Hanc autem Familiam in duas divisit tribus, Nepides & Notonectides. (*v. Familles naturelles du Régne Animal*, Paris 1825. p. 424), adjectis novis Generum nominibus, in quibus 5 ad *Nepam* et 4 ad *Notonectam* pertinent. Nobis tamen potissimum arrisit (v. *nova mothodus Hemiptera disponendi* p. 14-15 A. 1814.) ejusmodi tribus nomine *Familiarum* condecorare, non minus diversam corporis structuram, quam vivendi modum, (secundum regulas systematologicas) respicientes. Sic *Nepa* Linn. ejusque congenera ad *Hydrocorides* referuntur. Hujus enim Familiæ nomen, e lingua græca mutuatum, aptius et præstantius judicamus, quam nomen a Genere *Nepa* fictum (*Nepides*) apud Romanos *Scorpionem* significans. Præterea vocabula latina eodem modo atque vocabula græca in nomina patronymica vix rite convertuntur.

Synopsis Generum.

1 Ranatra. *Corpus* angustatum.

Pedes elongati, simplices.

2 Nepa. *Corpus* ovatum, depressum, planum.

Femora antica incrassata.

Not. Ab hac Familia sejungi debet *Genus* Naucoris Fabr. Familiæ subsequenti inserendum.

---

1 RANATRA. *Corpus* angustatum: *thorace* cylindrico, emarginato. *Pedes* elongati, simplices.

Hujus Generis non nisi unica species ad Faunam Sveciæ pertinet; at in Systemate Rhyngotorum FABRICII, præter hanc speciem Europæam, duæ, e Tranquebariæ aquis lectæ, citantur.

1 *R. linearis* cauda biseta corporis longitudine; thorace unicolore.

Ranatra linearis Fabr. Rhyng. 09. 2. ENT. Syst. 4. 64. 2 *Nepa linearis* LINN. Fn. 908. DE GEER Ins. 3. 369. t. 19. f. 1. 2. Frisch. Ins. 7. 24. t. 16. Sulz. Hist. Ins. t. 10. f. 4.

Habitat in aquis apud nos rarissime; D. á LINNÉ. Nobis autem hæc species nondum obvia fuit, nisi ab Exoticis missa. Longitudo corporis (præter setas caudales) fere sesquidigitalis. — *Corpus* lineare, convexum, totum cinereum. *Caput* parvum: *oculis* globosis, longe exsertis. *Antennæ* brævissimæ, in cantho oculorum absconditæ, (palmato-bifidæ FABR.) *Rostrum* brevissimum, paullo arcuatum (minime rectum, ut voluit D. FABRICIUS) inflexum. *Thorax* elongatus, antice collum mentiens, cylindricus, postice latior, pro receptione scutelli emarginatus. *Scutellum* triangulare, distinctum. Venter subcarinatus. *Elytra* linearia, abdomen totum obtegentia: rudimento *membranæ*. *Pedes* longissimi, tenues: tibiis anticis in medio unidentatis: ungue falcato; posticis brevissime seu parum conspicue ciliatis. *Tarsi antici* uniarticulati. *Cauda* biseta, longissima.

"*Ova* oblonga, altero apice setis duabus armata, intra culmos *Scirpi* setis prominulis. FABR. Rhyng. 109. 2.

2 Nepa. *Corpus* ovatum, planum: *thorace* immarginato, antice late emarginato; *femoribus anticis* incrassatis.

Species modo unica in Svecia hactenus detecta. At in Systemate Rhyng. Fabricii numerantur novem; ex his octo ad Regiones Indicas pertinent.

1 *N. cinerea* thoracis margine postico truncato; cauda biseta dimidio corpore parum longiori.

Nepa cinerea Linn. Fn. 906. De Geer Ins. 3. t. 18 f. 1. Frisch. Ins. 7. t. 15. Fabr. Rhyng. 107. 8. Ent. Syst. 4. 63. 7.

Habitat in aquis stagnantibus frequens, pollicis fere longitudine. *Corpus* cinereum, planum, depressum, ovatum. *Caput* parvum, subexsertum. *Rostrum* breve, paullo arcuatum. *Oculi* globosi, exserti. *Antennæ* brevissimæ (palmato-divisæ Fabr.) absconditæ, in cantho oculorum insertæ. *Thorax* scaber, inæqualis, profunde sulcatus et foveolatus, subquadratus, antice paullo angustior et pro receptione capitis late emarginatus; postice paullo latior, et truncatus (nec ut in speciebus quibusdam concoloribus exoticis, pro scutello recipiendo, distincte emarginatus). *Scutellum* subtriangulare: annulo postico coarctato. *Elytra* plana, incumbentia: puncto utrinque baseos albido; membrana magna, reticulatim crebro nervosa. *Abdomen* supra rufum, in medio nigrum. *Setæ* anales 2 pallidæ, parum pilosæ, abdomine (in nostris individuis) haud breviores. *Pedes* vel cinerei vel fusco-et albo-variegati; antici breves, raptorii: femoribus crassis subtus pro receptione tibiarum, canaliculatis; *posteriores* simplices, teretiusculi: tibiis latere pilosis. Unguis anticorum unicus, posteriorum duplex. *Tarsi* omnes uniarticulati.

Not. Nepa grandis Linn. a conspeciebus aliquot differt: capite thoracis parte anteriori haud angustiore, oculis obtuse trigonis, (fere ut in *Notonectis*), membrana elytrorum striatim multi-nervosa (non reticulatim) tibiis late compressis; imprimis autem thorace antice et postice haud emarginato, ut et tarsis omnibus biarticulatis. Ad Genus *Belostoma* Latr. referenda.

Differentia a colore solum desumta ad species *Neparum* discernendas minimum valet. Potius thoracem apice vel truncatum, vel magis minusve emarginatum, ut & tibias vel compressas vel teretes adcurate observare juvabit. Proportio setarum notam mere vacillantem forsitan præbet? —

Nepa Cimicoides Linn. Fn. 907 in Familiam subsequentem introduximus.

Non est diffitendum, quin in tanta penuria specierum, et *Nepæ* Linn. et *Notonectæ*, ad unicam modo Familiam referri possint. Etenim non desunt notæ communes. Obstat tamen ni valde fallimur nimia corporis formæ dissimilitudo.

NAUCORIDES.

Rostrum capitis apici insertum.
Antennæ infra oculos latitantes.
Hemelytra coriacea: *membrana* enervi.
Tarsi 1—2 articulati.

Corpus in Speciebus Sveciæ huc usque cognitis medium, l. parvum, aut convexum, aut oblongum et subcylindricum. *Caput* breve, transversum, insertum, antice rotundatum latitudine thoracis. *Rostrum* breve, pungens. *Antennæ* brevissimæ. *Oculi* paullo oblongi, obtuse triquetri. *Thorax* convexus, lævis. *Scutellum* aut triangulare et distinctum, aut inconspicuum, vix ullum. *Elytra* inflexa, abdomen et alas obtegentia: *membrana* subcoriacea, nervis conspicuis destituta. *Pedes* antici et intermedii subæquales; femoribus incrassatis; postici longissimi, natatorii. *Tarsi* omnes vel 2-articulati, vel antici 1-articulati, raptorii. *Alæ* amplæ, decussatim in apice complicatæ. *Setæ* caudales 2 breves, vel lamelliformes, vel capillares.

Victus e rapina in aquis.

Motus natatorius velox. *Volatus* nocturnus; et ut fertur, velocissimus.

Differentia Sexus e structura externa nondum rite cognita.

Larvæ a structura Imaginum subsimili mox dignoscuntur.

Obs. NAUCORIDES et HYDROCORIDES habitu corporis membranaque elytrorum dissimili, a se invicem mox discernuntur.

Not. Familia hæc, sub se comprehendit omnes *Notonectæ* LINN. Species, quæ *tribum* NOTONECTIDES recentiorum Entomologorum constituunt. Dispositionem autem harum specierum systematicam, diverso tempore elaboratam, in dissertatione: *Observationes quasdam Historiam Notonectidum, imprimis Fennicarum illustrantes propositura*, Aboæ A. 1819 adcuratissime enucleavit Celeberrim. Hist. Nat. Professor Aboensis C. R. SAHLBERG. Huc pertinet dispositio a Cl. W. A. LEACH, Angliæ Entomologo, maxime laudato, in *Transactionibus Societatis Linnéanæ Londinensis* pro anno 1817 proposita. Neque synopticam Ejus dispositionem hoc loco inferre nobis displicet.

"*Tribus* NOTONECTIDES. Pedes duo postici longiores, natatorii.

FAM. 1 *Corpus* cylindrico-ovatum, aut ovato-quadratum. *Tarsi* omnes biarticulati. (*Scutellum magnum*.)

Gen. 1. NOTONECTA *Corpus* cylindrico-ovatum. *Antennæ* articulo tertio secundo tenuiore. *Tarsi antici* articulo primo longiore. *Ungues* postici minutissimi.

Gen. 2. PLEA *Corpus* ovato-quadratum. *Antennæ* articulo tertio aliis majore. *Tarsi antici* articulis subæque longis. *Ungues* postici magni.

FAM. 2. *Corpus* depresso-cylindricum. *Tarsi antici* uniarticulati; quatuor postici bi-articulati. (*Elytra* margine antico ad basin saltim canaliculato.)

Gen. 3. SIGARA *Scutellum* distinctum. *Thorax* transversus, linearis. *Corpus* ovatum, postice acuminatum.

Gen. 4 CORIXA *Scutellum* nullum. *Thorax* transversus, postice productus. *Corpus* lineare, antice et postice rotundatum."

Cl. LATREILLE, Galliæ Entomologus laudatissimus, eandem disponendi rationem assumsit, notisque brevioribus, at sufficientibus, hanc illustravit (in *Familles naturelles du Regne Animal* pag. 425. Paris 1825. 8:o) modo sequenti:

Div. 1. *Scutellum* semper adest. *Tarsi* omnes biarticulati. *Vagina rostri* articulata.

Genera: NOTONECTA & PLEA.

Div. 2. *Scutellum* nullum plerisque. *Tarsi antici* uniarticulati. *Vagina* rostri striata.

α) *Scutello*: Gen. SIGARA.

β) *Scutello* nullo: Gen. CORIXA.

Periculum, quod fecimus ipsi A. 1814, et in descriptione Specierum *Nepæ* et *Notonectæ* LINN. et in *nova methodo Hemiptera disponendi*, *Hydrocorisarum* LATR. divisionem per duas Familias, *Hydromyzides* et *Naucorides*, continet, ita tamen, ut *Nepa Cimicoides* LINN. ad seriem *Notonectarum* pertineret. Etenim hanc speciem, (una cum affinibus exoticis) propriorem esse *Notonectis* quam *Nepis*, nobis persvasum habemus, a notis characteristicis satis comprobatum. Huc quoque verisimiliter referri possunt Genera AUCTORUM nova, *Naucori* scilicet maxime affinia. In his forsitan occurrunt species, non *Notonectides*, i. e. quarum motus *dorso notando* non peragitur; quam ob rem nomen, quod *Cimices natantes* exprimit, potius retinere, nobis placuit.

Synopsis Generum.

1 NAUCORIS. *Corpus* obtuse ovatum: *thorace* scutato.

Tibiæ posteriores compresssæ, spinosæ.

2 NOTONECTA. *Corpus* subcylindricum: carina ventrali ciliata.

Scutellum triangulare.

Tarsi omnes biarticulati.

3 SIGARA Corpus depresso-cylindricum.

Scutellum distinctum.

Tarsi antici uniarticulati.

4 CORIXA *Corpus* cylindricum.

Scutellum vix ullum.

Carina ventralis nulla.

---

1 NAUCORIS. *Corpus* obtuse ovatum: thorace scutato. *Pedes* posteriores crebro spinulosi ciliatique.

Species Sveciæ unica. In Systemate Rhyngotorum FABRICII numerantur octo, e quibus quatuor ad Europam, et quatuor ad Indias citantur. — "*Corpus* medium, depressum, planum. *Caput* latitudine thoracis. insertum, antice rotundatum. *Antennæ* brevissimæ, latitantes. *Thorax* glaber, integer; scutello magno triangulari. *Elytra* postice inflexa, membranacea. *Pedes* breves: femoribus anticis compressis, canaliculatis; tibiis falcatis, acutissimis, posticis spinosis." FABR.

1 *N. cimicoides* supra obscure virescens; capite thoraceque fusco-flavoque variis, abdominis margine serrato.

Naucoris cimicoides Fabr. Syst. Rhyng. 110. 1. Ent. Syst. 4. 66. 1. *Nepa cimicoides* Linn. Fn. 907. De Geer Ins. 3. t. 19. fig. 8. 9.

In pratis humidis *excipulo* plerumque capitur. *Cimice Juriperino* major. — *Corpus* subdepressum, supra convexum, ovatum, glabrum, nudum. *Caput* latitudine thoracis, insertum fusco-irroratum, antice rotundatum, convexum: oculis lateralibus magnis, sublunatis. *Thorax* convexus, scutiformis: lateribus prominulis, diaphanis, integris; antice pro receptione capitis paullo emarginatus, fusco-irroratus; postice parum latior, flavo-fasciatus, truncatus. *Scutellum* triangulare fuscum. *Elytra* fusco-virescentia postice inflexa: foveola infra scutellum, et membrana magna subcoriacea, cruciatim imposita, enervi, elytris concolori. *Pectus* flavum, nigro-maculatum. Maculæ autem in exsiccatis sæpe evanescunt. *Venter* in medio subcarinatus, margine ciliatus et serratus: segmento scilicet singulo quasi dente acuto terminato. *Alæ* amplæ, albæ. *Pedes* flavi. *Femora* compressa, valida; antica crassissima: tibiis falcatis, simplicibus, apice uniarticulatis. *Tibiæ* intermediæ et posticæ crassiores, valde spinosæ; posticæ intus ciliatæ. — *Tarsi* intermedii et postici 2-articulati, ciliati, unguibus 2-armati. *Cauda* brevis, barbata, verisimiliter in vivis bilamellata?

Not. Ad hoc Genus pertinet *Nepa rustica* Fabr. (forsitan quoque *N. annulata*.) Femina ova adgregata, erecta in dorso circumferens. In hac *N. rustica*, quam lustravimus, membrana elytrorum est vel brevis, enervis, vel nulla, et *Lamellæ* caudales binæ paullo exsertæ, ciliatæ.

2 Notonecta. *Corpus* subcylindricum: *capite* obtuso; *carina ventris* ciliata. *Scutellum* triangulare. *Ungues* omnium pedum bini.

Corpus supra valde convexum, elongatum, lineare, subtus planum: carina ventrali distincta, ciliata. *Caput* thoracis latitudine, antice rotundatum, postice insertum: *oculis* magnis, oblongis. *Rostrum* breve, arcuatum, pungens. *Antennæ* minutæ, sub oculis insertæ. *Thorax* convexus, immarginatus, postice truncatus, antice caput includens. *Scutellum* magnum, acute triangulare. *Elytra* incumbentia, apice flexa, abdomen tegentia: membrana subcoriacea, enervi. *Pedes* validi, postici longissimi, natatorii. *Femora antica* subtus breviter serrata; *intermedia* juxta apicem dente valida armata; postica longiora; *tarsi* omnes biarticulati, postici ciliati. *Anus* barbatus, tubulis aëriferis instruitur. Inde igitur ad superficiem aquæ sese conferunt *Notonectæ*, caudam pro receptione aëris sursum vertentes.

Motus dorso natatorius, (resupinatus) velocissimus.

Victus e rapina.

1 *N. glauca* elytris griseo-lutescentibus, margine fusco-punctatis.

Notonecta glauca Linn. Fn. 905. De Geer Ins. 3. 382. 5. tab. 18 f. 16. 17. Panz. Fn. 3. t. 20. (Fabr. Rhyng. 102. 1. ubi plures Auctores citantur.)

Mas & Fem. In copula observata. — Habitat in aquis stagnantibus frequens. *Caput* et *thorax* albo-flava, glaberrima, nitida. *Oculi* oblongi maximi, glauci, valde compositi, nigro-maculati. *Scutellum* holosericeo-atrum, sub thorace tenui ad dimidiam fere partem absconditum. *Hemelytra* griseo-lutescentia,

non nitida, leviter tomentosa, ad costam punctis pluribus nigris, et in cruce macula nigra, interdum obsoleta, notata. *Membrana* concolor. *Alæ* albæ. *Abdomen* dorso nigrum, versus apicem flavescens, subtus nigrum: lateribus et carina longe ciliatis. *Pedes* pallidi, natatorii; antici breviores, postici longissimi: femoribus intermediis ad apicem dente acuto armatis. *Tibiæ tarsique*, postici imprimis, intus ciliata.

2 *N. furcata* hemelytris nigricantibus: vittis utrinque duabus baseos griseo-lutescentibus.

Notonecta furcata Fabr. Rhyng. 102. 2. Ent. Syst. 4. 58. 2.

Capta cum præcedente in fossis ad templum Closter Lundæ, rarissime. Statura omnino *N. glaucæ*, a qua differt: colore hemelytrorum nigro, summo margine maculisqueduabus baseos oblongis flavescentibus, quarum altera partem interiorem pingit, altera brevior in parte exteriori ad medium hemelytri descendit. *Scutellum* nigrum. *Oculi*, *alæ* et *pedes* ut in *N. glauca*. Dens femorum intermediorum ad apicem adest.

3 *N. lutea* thorace, scutello hemelytrisque pallescentibus: vitta costali nigricante.

Notonecta lutea Müller Zool. Dan. Prodr. 1176. Weber u. Mohr Reise durch Schweden p. 66.

Mas & Fem. In copula deprehensa. E Vestrogothia D. Gyllenhal, e Smolandia D. Zetterstedt. — *N. glauca* parum brevior. *Caput* et *thorax* pallida, glaberrima. *Oculi* glauci, fusco-maculati. *Scutellum* thorace brevius et minus quam in præcedentibus. *Corpus* subtus fuscum: margine et carina ventris media confertim ciliatis. *Hemelytra* pallida, non nitida, tomento brevissimo obducta, in costa vitta nigra,

quæ apicem elytri non attingit. Membrana valde declivis, concolor. *Pedes* pallidi, ut in antecedentibus constructi et armati.

Not. Insectum a Cl. STURM Norimbergæ missum, *Notonectis* simile, at minutum, supra totum albidum, subtilissime impresso-punctulatum, valde convexum, gibbum, subtus nigricans: pedibus pallidis. *Caput* obtusissimum declinatum: oculis parvis, linea elevata frontis glabra, lutea. *Thorax* maximus, postice rotundatus et longe descendens: scutello triangulari, distinctissimo. *Corpus* postice obtusissimum, elytris scilicet truncatis, declinatis, in apice hiantibus: membrana nulla. *Alæ* albæ. Forsitan hæc species est vera *Notonecta minutissima* Fabr. Rhyng. 104. Ent. Syst. 4. 59. 6. Nomen quoque a Cl. STURM appositum (non autem LINN. Fn. neque PANZ Fn. 2. t. 12. quæ ad *Sigaram* pertinet) *Caput* autem in nostris individuis non *fuscum* sed *pallidum*. Genus PLEA LEACH huc verisimiliter spectat.

---

3 SIGARA. *Corpus* depresso-ovatum, postice acuminatum: *scutello* distincto. *Thorax* postice parum productus.

1. *S. minutissima* supra cinerea fusco-maculata: corpore subtus pedibusque flavescentibus.

Notonecta minutissima Linn. Fn. 905. SAHLB. Notonect. Fennicæ pag. 8. 1.

In aqua prope Höjebro Scan. pluries lecta a D. ZETTERSTEDT. Species minuta, longitudinem unius lineæ parum excedens. — *Caput* antice obtusum rotundatum, nitidum, flavescens, interdum quasi linea media brunnea notatum. *Oculi* subtriangulares, me-

diocres. *Thorax* transversim angustatus, lævis, griseo-lutescens. *Scutellum* parvum triangulare. *Elytra* lævia, maculatim cinereo-fusca: membrana concolore. *Striga* pallida elytrorum juxta scutellum utrinque adest. *Abdomen* supra planum, flavescens, subtus convexum, postice paullo acuminatum. *Pedes* pallidi, antici brevissimi, posteriores elongati.

Not. Ea est conformitas structuræ corporis *Sigaræ* cum *Corixa*, ut supervanea, sin plane inutilis, judicanda sit unius ab altero Generis separatio. Etenim differentiæ, quæ intersunt, vel speciem potius quam genus, vel, si magis placeat, subdivisionem quandam in uno eodemque genere propositam indicare videntur. Præterea cave, ne nomina, sæpe absona nihilque significantia, in detrimentum Scientiæ augeantur.

---

4 Corixa. *Corpus* lineare, convexum: scutello vix ullo. *Thorax* postice productus.

Corpus medium, minus, minutum, oblongum æquali fere latitudine, supra plus minusve convexum. *Caput* thorace vix latius: *oculis* subtrigonis, sat magnis. *Antennæ* sub capitis margine insertæ, retractæ. *Thorax* postice magis minusve angulatim productus et descendens. *Scutellum* vix ullum s. minutum et absconditum. *Hemelytra* incumbentia, postice parum inflexa, vix membranacea, abdomen tegentia, in margine exteriori (haud fere aliter atque in *Notonectis*) canaliculata. *Pedes* compressi, natatorii; anticorum tarsi uniarticulati, acuti. *Pedes* postici longissimi.

Victus in aquis.

Motus resupinatus, velocissimus. *Lamellæ* et pili caudales, (forsitan tubuliformes, pro respiratione aëris) haud desunt.

* *Capite subtus convexo.*

1 C. *striata* supra fusca, nitida: thoracis lineis transversis, hemelytrorum maculis numerosissimis hyalino-flavescentibus.

Sigara striata Fabr. Ent. Syst. 4. 60. 2. at synonyma h. l. allata ad diversas species pertinent. — Rhyng. 104. 2. Mon. Hydr. & Nauc. Sv. pag. 6. 1. *Corixa* Latr. Geoffroy. *Corixa Geoffroyi* Leach in Transact. Soc. Linn. Vol. XII. P. I. p. 17. 7. Sahlberg Noton. Fenn. p. 12. 5.

Mas & Fem. at Sexus differentia externa vix perspicua. Habitat in Scaniæ fossis ubique frequens, *Notonecta lutea* paullo minor, inter nostrates species maxima. *Caput* flavescens, obtusum, fronte scilicet rotundata: lineola nigra interdum obsoleta. *Oculi* magni triangulares, obscure grisescentes. *Thorax* glaberrimus, convexus, postice in angulum obtusissimum productus, scutelli rudimentum fere totum tegens; fuscus, lineolis plurimis flexuosis flavescentibus transversim striatus, et linea media longitudinali obsolete elevata notatus. *Hemelytra* nitida, glabra, pilis rarioribus depressis obsita, maculis numerosissimis, breviter undulatis, at non contiguis flavo-hyalinis adspersa: margine exteriori albo, quasi sulcato; membrana elytris concolore. *Abdomen* supra fuscum; margine flavo-nigro-maculatum. *Alæ* amplæ, albidæ. *Pedes* flavi; antici breves, validi: tibiis brevissimis, tarsis longe ciliatis. *Femora* intermedia, elongata, tenuiora, nullo dente armata: tibiis tarsisque extus ciliatis, intus subspinulosis. *Femora* postica crassa; *tibiæ* longitudine femorum, intus ciliatæ; *tarsi* elongati, dilatati, compressi, biarticulati, utrinque ciliati.

Not. Pictura elytrorum optime cernitur, si elytron ab ipso corpore erigitur. — Hanc speciem pro

varietate majori *Noton. striatæ* Linn. fuisse habitam, jam longo a tempore in Collectionibus satis est cognitum.

2 *C. undulata* supra fusca: thoracis lineolis elytrorumque undulis transversis flavo-hyalinis.

Sigara undulata Mon. Hydr. & Nauc. Sv. pag. 7. 2. *Corixa striata* Sahlb. Noton. Fenn. p. 9. 1. (*Notonecta striata* Linn. Fn. 904. De Geer Ins. 3. 389. t. 20. f. 1. forsitan vera.)

Mas & Fem. In copula capta; in aquis cum præcedente frequenter habitans, at ea multo minor, longitudinem scilicet ejus dimidiam parum excedens; ei quoque similis, præter picturam elytrorum transversim undulatam: undulis contiguis, sulco costali usque ad apicem elytri extenso. *Corpus* supra paullo magis opacum, subtus vel flavescens vel nigricans: basi ventris maculisque pectoris nigris. Dorsum nigrum, margine flavum. *Pedes* flavi. *Oculi* magni triangulares. *Thorax* postice angulatim longe productus. *Membrana* flavo-irrorata: maculis flexuosis. *Alæ* cæruleo-albicantes. *Corpus* juniorum flavescens: ventre pectoreque immaculatis.

3 *C. fossarum* supra fusca: thorace lineis sex transversis integris flavis; elytris maculis flexuosis flavo-irroratis.

Corixa fossarum Sahlb. Noton. Fenn. 10. 2.

Habitat cum præcedente. E Finlandia ad nos missa. — Structura omnino *C. undulatæ*, nec differt nisi pictura paullo diversa, et magnitudine duplo minori. *Corpus* supra paullo opacum, fuscum: lineolis

thoracis circiter sex integris flavis; tuberculo unico minuto. *Elytra* fusca ad basin imprimis flavo-lineata, ad costam et ad apicem maculis minutis, subundulatis confertim picta; membrana concolore. Cetera ut in præcedente. Longitudinem 3 lin. vix attingit.

Var. β major, inter *C. undulatam* & *fossarum* media: *elytris* ad basin regulariter lineatis; dein maculis non contiguis, undulatis confertim adspersis. — In Scania obvia.

Var. γ supra fuscior lineis thoracis pluribus, clypeo rostri, s. capite subtus excavato. — Hanc autem excavationem non nisi casu aut pressione digitorum esse factam verisimillimum putamus. Varietate *α* non major.

4 *C. Hellensii* supra fusca, transversim flavo-lineata: costa elytrorum suturisque læte flavis.

Corixa Hellensii Sahlb. Noton. Fenn. 11. 3.

Habitat in rivulo ad prædium *Tläne Nygård*, in Paroecia *Poytis* Finn. D. Sahlberg. — *Caput* flavescens: fronte obtusa, rotundata, clypeo rostri paullo retuso, nec ita convexo, ut in speciebus omnibus supra descriptis. *Verticis* margo posterior magis quam in affinibus elevato-acuminatus. *Corpus* supra subopacum. *Thoracis* lineæ 4 l. 5 transversæ, in medio dorsi linea flava interruptæ. *Hemelytra* fusca, flavo-lineata, in parte exteriori striis interruptis notata; sulco costali albo. Sutura quoque dorsalis et suturæ, quæ partem elytri internam ab externa, membranamque ab apice elytri, disjungunt, læte flavæ, in exsiccatis albæ, unde elytra conjuncta quasi cruce flava notata apparent, et hanc speciem, uti genuinam, imprimis demonstrant. Cetera, ut in affinibus; at magnitudo minor, longitudinem 2 linearum vix superat.

5 *C. carinata.* "Subtus flavescens: thorace punctato-rugoloso, fusco: lineis numerosis transversis flavo-ferrugineis, carina elevata longitudinali; elytris lævioribus fuscis: maculis undulatis flavo-ferrugineis."

Corixa carinata Sahlb. Noton. Fenn. 12. 4.

Ad Yläne Nygård semel tantum capta; a nobis non visa. "*Caput* ut in prioribus, flavescens, supra flavo-ferrugineum. *Thorax* subtilissime punctato-rugulosus: carina media longitudinali acute elevata, nudis oculis bene conspicua; fuscus: lineolis 10 flavo-ferrugineis, quibusdam in medio diversis. *Hemelytra* læviuscula, vix rugulosa, pilis decumbentibus raris obsita, fusca: maculis crebris flexuosis æqualiter fere sparsis flavo-ferrugineis; *membrana* concolore. *Abdomen* supra fuscum: margine ferrugineo; subtus flavescens. *Pedes* ut in præcedentibus." *Corixa undulata* paullo major.

Not. Auctoritate Cel. Inventoris D. Sahlberg hanc attulimus speciem, descriptione Ejus determinatam. Non dubitamus, quin et hæc et ceteræ species in dissertatione citata commemoratæ, in Sveciæ, præsertim Scaniæ aquis aliquando detegerentur; eamque ob caussam hasce novas Species huic loco inserere non hæsitavimus.

** *Capite subtus planiusculo; frontis margine attenuato.*

6 *C. Bonsdorffii* supra fusca, nitida: capite magno; elytris basi sublineatis, dein punctis confertissimis flavis irroratis.

Corixa Bonsdorffii Sahlb. Noton. Fenn. 13. 6.

Habitat ad Yläne Nygård, D. Sahlberg — *C. fossarum* paullo robustior. *Caput* magnum, thorace latius, supra convexum, flavescens: vertice in medio longitudinaliter obsoletissime carinato; fronte ante oculos paullo prominente: subtus oblique descendente, magis planiuscula, (nec, ut in *C. undulata*, rotundata) pilosa, margine attenuato. *Oculi* magni, subtriangulares. Thorax obscure fuscus, capite paullo angustior, postice angulatim productus, at non ita longe descendens, atque in *C. fossarum*, Carinula media adest. *Elytra* fusca, ad basin, in parte interiori lineolis flavis parum conspicuis plerumque notantur. Dein vero adsunt puncta numerosissima, sæpe confluentia: membrana concolore. *Corpus* subtus flavum dorso abdominis nigro. *Pedes* flavi.

Not. Hanc speciem et *Corixam Hellensii* nobiscum amicissime communicavit D. Sahlberg.

7 C. *coleoptrata* supra pallide fusca; thorace transversim angustato; elytris impunctatis.

Corixa coleoptrata Sahlb. Noton. Fenn. 14. 7. *Sigara coleoptrata* Fabr. Rhyng. 105. 4. Ent. 4. 60. 3. Mon Hydr. & Nauc. Sv. 7. 3.

Habitat in Vestrogothia; D. Gyllenhal, et prope *Holmiam*. Specimen unicum a Cl. D. Häffner communicatum. Species parva, dimidia præcedentis longitudine. *Caput* thorace paullo latius, pallidum, supra parum convexum, subtus oblique descendens, planiusculum, antice in marginem acutum attenuatum. *Thorax* capite dimidio brevior, paulloque angustior, postice rotundatus parum productus; glaber. *Elytra* nitida, longitudinaliter infuscata, obscure lutescentia, aut pallide fusca: membrana coriacea, ab ely-

tris vix discernenda. *Abdomen* flavescens, interdum supra fuscum, apice pallidum. *Pedes* flavescentes; tarsi antici angustiores, (similiter atque in *C. Bonsdorffii*) quam in reliquis speciebus. *Alæ* albidæ.

Index Generum Cimicidum, eorumque Familiarum affinium.

Acanthia - - pag. 140
Ælia - - - — 33
Alydus - - - — 39
Anthocoris - - — 65
Aradus - - - — 134
Belostoma - - — 171
Berytus - - — 164
Bryocoris - - — 151
Capsus - - - — 114
Cimex - - - — 21
CIMICIDES - - — 1
Copium - - — 153
Coreus - - - — 35
Corixa - - - — 181
Corizus - - - — 40
Cydnus - - - — 17
Edessa - - - — 34
Emesa - - - — 161
Geocoris - - — 69
Gerris - - - — 163
HYDROCORIDES - pag. 167
Hydrometra - — 158
Lygæus - - - — 47
Miris - - - — 127
NAUCORIDES - — 172
Naucoris - - — 175
Nepa - - - — 170
Nepides - - — 168
Notonecta - - — 177
Notonectides - — 168
Phytocoris - — 76
Plea - - - — 173
Pyrrhocoris - — 45
Ranatra - - — 169
Reduvius - - — 155
Salda - - - — 71
Sciocoris - - — 20
Sigara - - - — 179
Tetyra - - - — 11
Tingis - - - — 142

Corrigenda.

Pag. 9. In Synopsi Generum Cimicidum Sectionis prioris, pone Genus *Tingis*, adde novum Genus:

19-20 BRYOCORIS. Corpus ovatum: thorace simplici; *elytris* coleoptratis. convexis: membrana nulla.

Pag.	22	lin.	30	delentur vocabula: *s. aurito.*
—	91	—	9	lege: 29.
—	128	—	13. 16	lege: dolabratus.
—	141	—	32	lege: ligneas & lapideas.
—	142	—	26	— confertim.
—	151	—	23	— referri debent.
—	180	—	9	— supervacanea.

HEMIPTERA SVECIÆ.

CICADARIÆ,

EARUMQUE FAMILIÆ

AFFINES.

AUCTORE

CAROL. FR. FALLÉN,

Hist. Natur. Prof. Reg. et Ord., Reg. Acad. Scient. Holm. Reg. Societ. Scient. et E. E. L. L. Gothob. Societ. Imper. Nat. Curios. Moscovit. ut et Soc. Scrutat. Berol. Membro.

LONDINI GOTHORUM.

Ex Officina Berlingiana,

MDCCCXXVI.

VIRO CLARISSIMO

B. W. WESTERMAN

HAFNIENSI

S.

Qui non solum commerciorum omniumque, quæ publico usui quomodocumque inserviant, verum & Naturæ Scrutatori insignis neminique secundus, Patronus es & Fautor, nulli parcens, neque industriæ, neque sumtibus, ut huic nova vel rariora suppedites naturæ objecta, TIBI, Viro vere laudando hocce opusculum dicatum esto. Vestigiis tali modo digne insistis immortalis Viri N. TÖNDER LUND, cujus nondum deflere obitum destiterunt *Septentrionis nostræ* Entomologi: & quem tot tantaque circumstant decora, IPSI, qui non lubens vellem gratam observantiam testificari?

Clarissimi Nominis Tui

Cultor obstrictissimus

CAROL. FR. FALLÉN.

CICADARIÆ.

Caput rostro sub collo inflexo.
Antennæ brevissimæ, apice capillares.
Thorax limbo collari antico destitutus.
Hemelytra subcoriacea, per suturam rectam conniventia.
Tarsi 3-articulati.

Insecta Hemiptera ad *Fulgoram* & ad *Cicadam* LINN. relata, methodo Cel. FABRICII Classi Rhyngotorum inserta, per V Genera in Entom. System., per XIV in System. Rhyngot. distributa, Familiam & quasi Ordinem naturalem constituunt. Ill. DE GEER species suo tempore cognitas ad unicum modo Genus reduxit, & in 5 familias distribuit. Multiplicatis autem novis detectis, non modo Cel. FABRICIUS numerum Generum auxit, verum etiam Cel. LATREILLE novas introduxit divisiones novaqne Genera constituit. Varia quoque a variis facta sunt additamenta, figuris æneis & observationibus illustrata. In his eminent Cel. STOLL & GERMAR. Etenim hic in *Magazin der Entomologie* B. 3 & 4 (Hallæ 1818—1821) Cicadarias Veterum, novis generibus auctas, in 5 familias distribuit. Eam vero disponendi rationem, a summis laudatisve Entomologis factam explicare & dijudicare, non hujus loci est.

Cicadas De Geerii Sveciam inprimis incolentes describere in animum jam induximus. Hujus autem rei exemplum in Actis Reg. Acad. Scient. Holm. annis 1805—6 antea dedimus, methodo Fabricianæ hoc tempore nimis addicti. Postea quoque Specimen novam Hemiptera disponendi methodum exhibens A. 1814 edidimus, dispositionem dichotomicam, uti hisce in rebus faciliorem, notasque genericas a variis corporis partibus desumtas eligimus.

Quæ in Entom. syst. & in Syst. Rhyng. Fabr., ad Genus *Cicadam* De Geerii relatæ, species descriptæ & recensitæ sunt, numerum 450 excedunt, e quibus tamen plures esse aliarum specierum varietates jure meritoque existimamus. Magnam quoque in orbe terraqueo existere specierum copiam, vel ex eo intellegi potest, quod Cicadibus illis 18 genuinis, in Fauna Svec. Linn. a. 1761 commemoratis, ex collectionibns nostris jam dudum addi possunt species 70 & ultra, utroque sexu distinctæ. Animalcula autem hæc sæpius sunt minuta, & in his, quæ longitudinem 1 ½ lin. non valde superant, nec sine industria & arte colliguntur. Quæ vero e terris longinquis in Europam missa sunt, in majora hujus formæ corpora sæpissime esse numeranda, verisimillimum putamus. Quanta igitur superest specierum multitudo in posterum detegenda!

Metamorphosis & vita Cicadarum atque in ceteris Hemipteris fere eadem. *Larvæ* enim hexapodæ, imagini subsimiles, interdum pulchre pictæ, in gramine & in fruticibus, more imaginum, salientes, alimentum e succo Vegetabilium rostro suctorio hauriunt. Tunicas corporis aliquoties commutant. Imago autem completa, nuper exclusa, mollis est & parum colorata, pallescens vel virescens. Brevi autem firmitatem coloremque obscuriorem assumit. — Larvas omnium *Cercopum* eodem modo atque larvam Cerc. spumariæ, cujus mentionem facit ill. De Geer in *Mem. des Insectes* T. III, in spuma, plantis adfixa, vitam degere, verisimile est. At larvæ *Cicadarum*

ceterarumque hujus familiæ specierum, in foliis plantarum libere vagant. — Quædam sunt species in gramine pratorum, ceteris longe frequentiores & copiosissime obviæ; detrimentum vix ullum inferentes. Aliæ in fruticibus potissimum versantur & volant, at brevem faciunt viam. Fertur tamen, magnam *Cerc. spumariæ* copiam intra fenestram hora vespertina XI sub volatu migratorio alicubi irrepuisse. (Vid. *Naturforscher* St. 3). — Hanc quoque speciem, non aliter ac ceteras maxime frequentes, ante finem mensis Augusti, fere penitus se subduxisse, & hospitia solita quasi simul & semel deseruisse, observatum est. Hinc absurdum omnino non dictum esse putaverimus, ejusmodi colonias, tempore nocturno migrantes, ideoque non observatas, in mare vel in aquas se contulisse, ut escam piscibus præberent.

Ova ad radices plantarum ante hiemem deponit verisimiliter tota hæc familia. Imagines tamen plurium specierum (*Cercopibus* exceptis) sub lapidibus & muscis hibernantes raro reperimus. Ab *Acaro* quodam ovali, rubro, haud aliter atque alia Insecta, interdum infestantur.

Capiuntur vel *forfice* vel potius *excipulo*, aut in gramine aut in fruticibus vibrandis, ita ut in fundum excipuli cadant Cicadæ. Strenue tamen saliendo fugam petunt. Vasculo vitreo una cum gleba terræ graminea haud raro nutriri possunt larvæ immissæ, & explicari. Aciculis adfiguntur imagines in margine dextri elytri, non in thorace, nec in scutello, ne notæ ab his partibus desumendæ lædantur.

Species quantum fieri potuit genuinas & veras determinare nobis cordi fuit, eumque in finem copulationem sedulo observavimus, varietates copiamque individuorum collegimus, insecta viva descripsimus & mutationem colorum in exsiccatis adnotavimus; unde accidit, ut omnium specierum antea cognitarum differentias aliter construere coacti fuerimus. Nec nota a colore solum desumta ad species a se invicem discernendas semper valet. Obstat nimirum non tan-

tum coloris in Sexu eodem discrimen, verum etiam in Sexu alterutro diversitas picturaque alia. Cujus rei exempla exstant haud pauca in *Cercope spumaria*, *Cicada rustica*, *Jasso fruticola* &c. Quin plures igitur species in Systemata introductas e serie omnino deleri debeant, minime est dubitandum. Obstat quoque coloris in diversis speciebus nimia similitudo, ut in *Cic. agresti* & *plebeja*, in *Cic. assimili* & *virescenti* &c. Ad structuram igitur omnium partium, earumque proportionem, impressiones, vestitum & armaturam &c. simul & semel animum attendere oportet, ne confundantur species vere diversæ.

Characteres Generum, nos eligisse, comparatione individuorum, Sveciam incolentium, ejusdem structuræ, & metamorphosis, haud diffitemur. Quin hi characteres speciebus quoque exoticis, a nobis saltim lustratis competant, nullum est dubium.

Differentia Sexus primo detegitur intuitu. Etenim genitalia in Mare, quæ semper breviora sunt quam in femina, e corniculis duobus sub ano insertis, vaginatis, approximatis, brevibus constare videntur. Femina autem vaginam modo unicam, ensiformem, corneam, lamellis suffultam & in rima longitudinali, nec brevi, sub ano inclusam ostendit. Hanc vero vaginam, ovario verisimiliter insertam, exitum continere pro genitura, plantis infigenda, nec deesse alium sat evidentem excretorum exitum, in apice intestini, quod locum spinæ dorsi tenet, satis patet. Exitus igitur communis, uti autumat Cel. Fabricius, pro genitura & excretis in his animalculis non datur.

Dispositio systematica Divisiones specierum & *superiores*, Classes & Ordines, *inferiores*, Familias & Genera respicit. Unaquæque harum dichotomice dividitur in sectiones & subsectiones, quarum notas, sufficientes & constantes esse oportet. Hanc autem divisionem dichotomicam nimis longe, i. e. quam plurimis divisionibus & repetitis sectionibus extendere, scientiæ sæpe magis obesse quam prodesse haud male

contenditur. (Conf. Cel. Spix *Geschichte und Beurtheilung aller Systeme d. Zoologie.* 1811 p. 217 ubi de specie in Systemate invenienda, quasi *per nubem divisionum* sermo est). In Generibus tamen, ubi adest specierum copia numerosior, plures admitti sectiones & dichotomice construi solent. Exinde diagnosis speciei brevior & evidentior eruitur. Exinde quoque Species aliqua, examini subjecta, in Serie specierum descriptarum citius investigatur. Sic in Genere *Cicada*, si capitis structuram respicis, notam sectionis & a capite antice in angulum prominente, & a capite antice rotundato semper habebis. In priori sectione caput vel attenuatum vel crassum videbis. Equidem scimus, hujusmodi diversitatem, nova formandi Genera, ansam sæpe dedisse. Sed in Speciebus *Cicadæ* tanta adest ceterarum partium convenientia, (simili vivendi ratione s. metamorphosi non prætermissa), ut erronea, sin absurda foret ulterior Generum fictio. Præterea vix negari potest, quo propius Genera plura respectu structuræ partium, ad se invicem accedant, eo difficilius erui characteres eorum discernentes, qui sine nimia verbositate, tædium adferente, nec non repetitionibus, quæ confundunt, vix unquam exprimi possunt. Neque minus obstat nimia notarum in quocumque charactere congestio. Nec plures neque pauciores adhibendæ sunt, quam quæ alterum ab altero discernunt. Reliquæ notæ, divisioni cuidam propriæ, descriptioni inferuntur, characterem auxiliarem constituentes. Ejusmodi autem notæ in divisione superiori semel recensitæ, in divisione inferiori haud repetendæ sunt, unde fiat, necesse est, ut ultima speciei descriptio multo brevior evadat. Sic a generalioribus ad specialiora, (h. e. per omnes divisionis gradus, qui pro specie definienda *genus* definitionis constituunt, ad ipsius speciei *differentiam specificam*) progredi oportet.

Recentiores Systematici methodum *Fabricii* notas omnes characteristicas ab organis solum cibariis eligendi, maxima ex parte deseruerunt, a methodo mere artificiali ad methodum sic dictum naturalem sese

accommodantes. Huc spectant scripta inprimis ill. Comitis Hoffmansegg in Wiedemanns Archiv. Neque abludunt Scripta & Systemata Cl. Illiger Latreille, Wiedemann, Meigen, Germar &c. Sed hæc hactenus.

Ad *Cicadam* De Geerii quod attinet, diversam thoracis structuram inprimis respeximus. Thorax scilicet *vel* integer, *vel* in lobos quasi dividitur. Hinc omnes hujus generis species in *duas* abeunt *divisiones*, quarum altera *Cicadarias*, altera *Fulgorides* & *Tettigonides* continet. Harum prior scutellum habet minutum, at distinctum; posterior autem thoraci coadunatum, parum distinctum, fere nullum. In hac ultima divisione thorax vel segmento quodam antice augetur, ut in *Tettigonia*, vel limbo collari antico tegitur, ut in *Delphace*, *Flata* &c. — Jam vero superficies thoracis, tegumento scutiformi sæpe obducta, (haud aliter atque in Coleopteris, *Collare* a Cel. Germar fuit adpellata. Hoc autem tegumentum in multis speciebus. e. g. in *Cercopibus* fere coadunatum; in aliis, e. g. in *Jassis*, quasi liberum & membranaceum conspicitur. Satius tamen ducimus, eundem cum Ill. a Linné & Fabricio habere sensum termini *thoracis*, (ut evitetur ulterior confusio), partem scilicet corporis inter caput & abdomen mediam, inprimisque ejus superficiem superiorem, *thoracem* adpellantes, adjecto *limbo collari*, lobum transversum juxta caput angustiorem formante. Ejusmodi *limbum* & Fulgoris & Tettigoniis (non Cicadariis nostris) competere, facile conspicitur. Præterea differre videntur *Cicadariæ* & *Tettigoniæ* non solum structura aliarum partium varia, verum etiam statu larvarum vivendique ratione diversa.

Locum in Systemate habebunt post *Naucorides*, at ante *Chermides*, propter nimiam *Delphacis* cum *Cherme* adfinitatem. Svethicum earum nomen *Grässpritt*, vel *Grässprätt* propter motum in gramine saltatorium haud incongruens videbitur.

Synopsis Generum Cicadariarum.

Sect. I. Thorace spinoso.

1. Centrotus *Caput* descendens.
Thorax postice spinosus.

2. Ledra *Caput* horizontale.
Thorax postice emarginatus, muticus.

Sect. II. Thorace mutico.

3. Cercopis *Caput* horizontale. *Thorax* postice sensim angustior, emarginatus.
Tibiæ posticæ 1-2-spinulosæ.

4. Eupelix *Caput* horizontale, planiusculum, depresso-attenuatum.
Tibiæ posticæ spinulosæ.

5. Cicada *Caput* horizontale, porrectum, margine integrum. *Tibiæ* posticæ crebro-spinulosæ.

6. Jassus *Caput* perpendiculare, margine integrum: vertice transversim lineari. *Tibiæ* posticæ crebro-spinulosæ.

7. Ulopa *Caput* horizontale, margine antico retusum. *Tibiæ* submuticæ.

Sectio I.

Thorace spinoso.

Centrotus *Caput* declinatum, infra thoracem descendens. *Thorax* elevatus, in spinam productus.

Corpus, antice dilatatum, postice attenuatum: *thorace* utrinque aurito, in Speciebus aliquot exoticis mutico, postice autem in spinam semper producto; in his præterea thoracis armatura valde varia. Conf. Germar Magaz. d. Entomol. B. 4. p. 31 (Tab. 1), ubi character Generis ita definitur: *Stethidium metathorace superno destincto*, speciesque *Membracis* cum speciebus *Darni* Fabr. conjunctæ, & *Centroti* Familiæ *Membracidum* inseruntur; in quibus Collare, Thorax & Metathorax, nec non scutellum coadunata, a se invicem suturis nullis separari possunt (l. c. p. 8). Corpusculum igitur triangulare, sub spina thoracis insertum, formam locumque scutelli habens, cum abdomine conjungitur (l. c. p. 32). — Species non nisi unica in Svecia occurrit.

1. *C. cornutus* ater thorace bicorni postice subulato: spina longitudine abdominis, alis griseis.

Fabr. Rhyng. 19. 15. Act. Holm. 1805, p. 234 Germar.
Membracis Fabr. Ent. syst. *Cicada* Linn. syst. Nat. Nat. & Faun. Sv. 879.
De Geer Ins. 3. 181. tab. II. f. 22.

Mas & *Fem.* Habitat sub arbustis in gramine pratorum. Corpus atrum, longit. 4½ lin. capite thoraceque pube tenui vestitis. Caput parvum, declive. *Thorax* valde elevatus, impresso-punctatus, antice supra caput adscendens, in latere utroque unispinosus, postice subulatus. Scutellum triangulare: apice lutescente, bispinoso. Elytra pellucida grisea, fusco s. luteo-nervosa. Dorsum abdominis

æneo-atrum, nudum. Pedes validi, breves: femoribus subpubescentibus, atris, tibiis triquetris, ferrugineis, in angulis ipsis breviter spinosis. — Larva ferruginea: oculis nigris, hexapoda, subtriquetra. Thorax compressus, in carinam longitudinalem elevatus. Segmenta abdominis 6: ano elongato, rigido. Corpus subtus planiusculum, segmentis latere crenulatis, ciliatis; postice attenuatum. Hospitatur in gramine pratorum.

Not. Citationes plures, quæ hanc ceterasque hujus Familiæ species respiciunt, in Fauna Sv. Linn. & in System. Rhyngot. Fabr. investigari possunt.

Ledra *Caput* horizontaliter exsertum, clypeatum, thoracis latitudine. *Thorax* postice immarginatus, muticus. *Tibiæ* triquetræ; posticæ dilatatæ, serratæ.

Hocce Genus ad Familiam *Ranatrarum* a Cel. Germar, ad *Cicadellas* a Cl. Latreille, una cum *Cicada*, *Jasso* & *Cercope* Fabr., quæ collare maximo gaudent, refertur. *Thorax* utrinque auritus. *Scutellum distinctum.*

1. *L. aurita* thorace biaurito, lævi; corpore griseo.

Fabr. Rhyng. 24. 1. Germar l. c. p. 54. Act. Holm. l. c. p. 235. *Membracis* Ent. Syst. 4. 11. 15. *Cicada* Linn. Syst. 2. 706. 7.

Fem. Insectum in Svecia rarissimum, in Kinnekulle a Nobil. Gyllenhal; in Blekingia a Profess. Afzelio, olim captum, a nobis nondum inventum. — Caput antice rotundatum, tenue, clypeiforme, thoracis latitudine. Thorax, utrinque auritus, postice emarginatus pro receptione Scutelli, triangularis.

Corpus supra griseo-varium. Elytra coriacea, reticulatim nervosa. Pectus & venter flavescentia. Pedes validi, pallidi: femoribus anticis teretibus, ceteris subcompressis, parum pubescentibus. Tibiæ nigro-punctatæ pubescentes, triquetræ; posticæ elongatæ, dilatatæ, subtus evidenter serratæ. Longit. 6 lin. & ultra.

MAS.

Sectio II.

THORACE MUTICO.

CERCOPIS *Caput* horizontale, immarginatum. *Thorax* antice rotundatus, postice sensim angustior, et pro receptione scutelli emarginatus. *Tibiæ* uni-s. bi-spinosæ.

Caput antice in angulum extensum: fronte subtus gibbosa transversim striata, striis arcuatis in medio striga sæpe interruptis. *Ocelli* 2 in medio verticis. *Scutellum* parvum, pro emarginatura thoracis antice rotundatum, postice acutum. Elytra coriacea, tenuiter nervosa, vel deflexa vel incumbentia, abdomine plerumque longiora *Corpus* ovatum. *Pedes* validi. Spinæ tibiarum posticarum laterales sæpius binæ, altera minor haud procul a basi, altera major prope apicem. *Genitalia* maris breviora, feminæ lamellis duabus ad basin oblique oppositis suffulta. *Alæ* longitudinaliter distincte nervosæ, nervo marginali intus instructæ. — *Larvæ* in spuma, quam plantis adfigunt, versantur. *Imagines* in gramine & in fruticibus saliunt.

Not. A *Cicada* mox dignoscitur *Cercopis*: structura thoracis & armatura pedum diversa. A *Jasso*: structura capitis & armatura pedum diversa.

In *Cercope*, *Cicada* & *Jasso* FABR. Syst. Rhyng. Species diversi generis promiscue collocatæ sunt & confusæ. — Species *Cercopis* FABR. quædam exoti-

cæ (in his C. *cruentata*, *sanguinolenta*, *lineola*, earumque affines) capite submarginato, magis inæquali, thoraceque angustiori, oculis magis exsertis, elytris postice dilatatis: apice confertim & parum evidenter reticulatim nervosis instructæ, ad Genus distinctum *Cercopis* nomine, a nostris Cercopibus diversum, a Cel. Germar l. c. p. 38. referuntur. Ejusmodi autem in Svecia non occurrunt. An in spuma viventes? — Facili tunc negotio in uno eodemque Genere, ne nimis augeantur Nomina, conjungi possunt.

* *Elytris capite latioribus.*

1. C. *Salicis* supra griseo-lutea; elytris excavato-punctatis immaculatis capite latioribus, versus apicem compressis, attenuatis.

Cicada spumaria salicis De Geer Ins. 3. 180. 2.

Mas & *Fem.* colore similes, in Salicetis habitantes, longit. 5 lin. — Supra unicolor, punctis confertis excavata. Stemmata 2 parva, sanguinea. Caput & thorax in medio lineola glabra notantur longitudinali. Pectus fuscum s. testaceum: macula nigra, opaca. Abdomen obscurum: marginibus, ano (præsertim in femina) pedibusque testaceis. Nervi elytrorum elevati, alarum nigri. — Mas paullo minor: abdomine, pro more in hac Familia solito, fusciori.

Not. Elytra in hac & in specie subsequente subcompressa; in ceteris autem latera abdominis minus late excedunt.

Sub nomine *Cerc. rusticæ* Fabr. hæc ipsa in collectionibus Hafniens. species occurrit. Verum nota specifica: grisea, immaculasa, alis albis in *Cicad. rusticam* aptius sane quadrat.

2. C. *Alni* supra fusco-canescens, elytris excavato-punctatis capite latioribus, versus apicem compressis attenuatis: maculis duabus lateralibus albidis.

Cerc. alni Act. Holm. cit. p. 240 *C. 2-fasciata* Fabr. Rhyng. & Ent. Syst. exclusis synonymis Linn. & De Geer.

Panz. Fn. 7 t. 20 *Cicada cincta* Thunb. Act. Ups. 4. 23. 39.

Mas & Fem. Hospitium in fruticibus, inprimis in Alnetis, sat frequens. — Structura & magnitudo omnino præcedentis. Elytrorum nervi elevati & maculæ binæ marginales albidæ, quarum prior fasciam transversam oblique ductam interdum constituit; posterior autem formam triangularem habet. Cetera omnia, ut in *Cerc. salicis.*

Not. Deficiunt in hac & in antecedenti impressiones 5 ordinariæ thoracis, quæ in speciebus subsequentibus revera adsunt; eorum tamen loco maculæ quædam glabriusculæ oculo armato conspiciuntur.

Pro *Cic. spumaria* a quibusdam perverse habetur hæc nostra *Cerc. alni.* Eandem enim conspexisse Cl. Schrank & a magnitudine speciei, in Enum. Ins. Austr. Augsb. 1781 p. 251, allata, & a descriptione *Cic. flavicollis* proxime subsequentis, quam meram varietatem *Cic. spumariæ* Linn. jure existimamus, luculenter patet. Utramque quoque speciem fasciis pictam similibus sæpe invenimus.

Cic. 2-fasicata Linn. Fn. 898, licet *magis compressa quam depressa* describitur, (ubi transpositio vocum verisimiliter facta sit) ad *Cercopem 2-fasciatam* Fabr. nequaquam pertinet; etenim hoc insectum, magis sane depressum quam compressum, minutum est, & a descriptione De Geeri satis dignotum. Synonymon autem Panzeri, a nobis citatum, nostræ *Cercopi alni* optime convenit. *Flavescentem* tamen cum Cel. Fabricio eam describere non potuimus. Multa enim individua eaque plurima a nobis conspecta, vel nuper exclusa vel adultiora, supra semper canescentia, abdomine obscuro margine pedibusque lutescentibus, prædita fuerunt.

A *Cerc. spumaria:* punctis excavatis facillime dignoscitur *C. alni.* — Nomen ejus specificum, ut evitetur ulterior nominum confusio, mutatum, ab habitatione hujus insecti potiori petitum, eligimus.

3. *C. angulata* nigra, supra pallida, elytris obtusis lævibus, capite latioribus: lineola baseos strigisque duabus ad marginem exteriorem coeuntibus fuscis.

Fabr. Ent. Syst. 4. 53. 27. Rhyng. 97. 49. Act. Holm. cit. *C. unifasciata* Fabr. hujus varietas forte pallidior. *Aphrophora coleoptrata* Germar l. c. p. 54. *Cicada coleoptr.* Linn. Fn. 880 vera.

Mas & Fem. In Uplandia, Sudermannia & in Vestrogothia habitans. D. Gyllenhal. *C. spumaria* paullo major & robustior. Supra albo- vel luteo-grisea, sericeo-nitens, subtilissime pubescens. Macula capitis thoracisque media communis nigra sæpius adest. Cicatrices thoracis antice transversim dispositæ & lineola a fronte per thoracem & scutellum transiens pallida. Elytra valde fornicata, minime impresso-punctata, pone medium dilatata, postice inprimis in mare obtusa magisque rotundata, abdomen tegentia, pallida: lineola baseos strigisque ad marginem exteriorem angulum formantibus fuscis. Corpus subtus nigrum. Alæ metallice nitentes, nigro-nervosæ. Pedes pallidi, in mare maxima ex parte obscuri. — Mas paullo minor; colore capitis obscuriori, alis minutis; femina strigis elytrorum obsoletioribus & interruptis, alis completis.

Not. A ceteris nostris speciebus differt *C. angulata:* peculiari quadam elytrorum (præsertim in mare) structura magis fornicata, ut & superficie læviori, nervis conspicuis nullis nec punctis impressis notata. Cum *Cerc. spumaria* var. *γ*: elytris fere similiter, licet obsoletius, pictis, non confundi debet.

4. *C. coriacea* griseo-testacea: abdomine nigro; elytris excavato-punctatis capite latioribus, versus apicem obtusis.

Fem. Habitat in Finlandia, a Cel. Prof. SAHLBERG An. 1808 nobiscum amicissime communicata. *C. spumaria* paullo major, crassitudinem *C. angulatæ* non attingens. Corpus supra griseo-testaceum, glabrum, (non sericeo nitens) an semper? crebro impresso-punctatum: punctis profundioribus. Capitis structura omnino ut in *C. spumaria*, fronte scilicet subtus gibbosa, interrupte striata; vertice autem magis inæquali. Thorax inæqualis, convexus, transversim parum foveolatus: linea media elevata glaberiori, per caput transeunte. Scutellum fovea rotundata latiori distincte notatum. Elytra ampla, deflexa, fornicata, nervis elevatis inæqualia: maculis obsoletissimis albis in certo luminis situ conspicuis adspersa. Pectus & Pedes pallida. Abdomen nigrum opacum: ano pallido. Tarsi obsolete brunneo-annulati. Alæ completæ.

Mas:

Not. Non nisi feminas vidimus. Uterque autem sexus in Museo D. Sahlbergi adest. — — Differt a *C. spumaria*: punctura elytrorum satis profunda. A *C. Salicis*: Angulo capitis frontali obtutiori, elytris ad apicem non ita attenuatis, coloreque corporis supra non ita lutescente. Linea præterea thoracis magis elevata, ipse thorax quoque gibbosior, ut & scutellum in medio foveolatum (an semper?) notas præbet discernentes. Hanc nostram *C. coriaceam* pro varietate juniori *Cercopis Salicis* habere, & structura totius, & imprimis alæ omnino completæ vetant.

5. *C. spumaria* elytris impunctatis discoloribus capite latioribus; thoracis impressionibus antice transversim dispositis; macula pectoris nigra nitidissima.

Cicada spumaria graminis De Geer Ins. 3. 163. 1. *Cic. spumaria* Linn. Syst. Nat. & Faun. Suec. *Cercopis spumaria*. Fabr. Ent. & Rhyng. *Aphrophora spumaria* Germar.

Mas & Fem. habitat in gramine pratorum ubique frequentissima, præcedentibus paullo minor, colore valde varians. Unde quoque apud Auctores ortæ sunt species plures, quæ tamen non nisi varietates unius ejusdemque speciei sunt. — Puncta verticis duo inpressa s. potius stemmata profundiuscule sita semper adsunt. Thoracis superficies inæqualis, antice punctis s. foveolis 5, in serie transversim dispositis, impressa. Macula pectoris inter pedes anteriores nigra nitidissima in omnibus varietatibus adest. Corpus supra sericeo-nitens. Elytra lævia nec punctis perspicuis excavata. Nervi autem elytrorum paullo elevati. Abdomen fuscum: margine (inprimis feminæ anoque) pallido Pedes sterno concolores, plantis apice nigris. Longit. 3 lin.

Not. Color viventium albus in flavescentem s. ochraceum facile mutatur. — A speciebus supra allatis discernitur: magnitudine minori, superficie superna saltim perspicue non excavato-punctata, ut & statura magis depressa maculaque pectoris nitidissima. — A sequentibus differt: elytris capite latioribus. Præterea observationes, descriptiones & figuræ De Geerii in *Mem. des insectes* hanc speciem a *C. Salicis* & *Alni* (eandem & æqualem magnitudinem habentibus) omnino esse diversam, optime demonstrant.

Frequens est hæc nostra species, imo omnium facile frequentissima, eamque ob causam nimiæ coloris variationi forsitan obnoxia. Hasce autem varietates pro diversis speciebus neutiquam assumere oportet. Etenim obstat: frequens omnium inter se observata copulatio, cohabitatio, ut & summa habitus structuræque similitudo. Feminas quoque coloris variationi magis esse obnoxias, quam mares, satis

& diu observatum est, nec in varietatibus quibusdam, infra commemoratis, copiosissime lectis, nisi feminas umquam vidimus, in copula tamen cum mare aliter colorato, sæpissime deprehensas. Colonias hujus insecti vulgatissimi viventes lustravimus, nec unum modo alterumve individuum exsiccatum, in theca sepositum, & pro diversitate coloris speciem novam facile mentiens, consultavimus. Præcipuas varietates commemorare in animum jam induximus.

Var α. *Mas* & *Fem.* supra fusco-flavescens: maculis elytrorum duabus transversis albidis.

Cic. & *Cerc. spumaria* Auctorum. De Geer Ins. 3, 163. 1. tab. XI. fig. 1-21. Metamorphosin hujus insecti evidenter explicans. It. Act. Holm. 1741. tab. 7.

Not. *Mas* hujus varietatis omnibus varietatibus femineis maxime communis. Femina ejusdem coloris plerumque obscurior. Femina autem hæc iterum variat: capite thoraceque flavo-albidis; elytris nigricantibus: fascia maculisque 2 oppositis albis. Inde verisimilter orta est: *Cerc. fasciata* Fabr. Rhyng. 97. 36 Ent. Syst. 4. 55. 38. *Cic. variegata* var. Thunb. Act. Ups. 4. 22. 38. *Cic. flavicollis* Schrank Ins. Austr. 480 (non Linn.). Color elytrorum vel magis vel minus fuscescens. Maculæ duæ oppositæ in vivis interdum in fasciam abeunt, unde bifsaciata evadant elytra. Caput & thorax pallidiora sunt.

Var. β. *Mas* & *Fem.* capite thorace elytrisque concoloribus, nigris: maculis elytrorum 2 transversis albis,

Cerc. gibba Fabr. Ent. Syst. 4. 54. 34. Rhyng. 97. 52.

Not. A præcedente colore nigriori totius superficiei supernæ tantum differt. Mas autem rarior occurrit coloremque in brunneum, maculis elytrorum minutis interdum commutat. Huc referri potest Femina: elytris unifasciatis, rarissime obvia.

Var. γ Supra flavescens vel pallida: elytrorum strigis 2 obsoletis ad marginem exteriorem coëuntibus fuscis; punctis 2 s. 4 frontis nigris minutis.

Not. Desunt interdum puncta frontis nigra. Feminas modo vidimus. Individua strigis elytrorum saturate pictis raro occurrunt. His autem strigis omnino deficientibus oritur sequens:

Var. δ *Mas* & *Fem.* supra flavescens. l. ochracea: fronte nigro-punctata.

Cerc. populi. Fabr. Rhyng. 98, 63.

Not. *Cicada populi* Linn. apud Fabr. citata ad *Jassum* referri debet Marem hujus varietatis cum feminis omnium ceterarum varietatum in copula observavimus. Elytra in aliis nebulosa, in aliis maculis 2 albidis lateralibus notata. Pedes flavi. — Mas rarissime quoque variat: colore supra obscure testaceo, punctis 2 ad marginem elytrorum exteriorem albis; fronte punctis 2 nigris; corpore subtus toto flavescente. *Cic. 4 maculata Schrank* l. c. pag. 254.

Var. ε. *Mas* & *Fem.* supra tota nigra. *Cerc. leucophtalma.* Fabr. Ent. syst. 4. 52. 21. Rhyng. 95. 38. *Cicada* Linn. Fn. 883.

Not. *Mas* colore æque saturate nigro ac in femina, occurrit rarior; eum tamen in copula cum feminis ceterarum varietatum, haud aliter atque feminam hanc nigram in copula cum maribus aliarum varietatum observavimus. Margo abdominis, sternum pedesque interdum nigra, interdum flava. Maculæ binæ elytrorum marginales albæ interdum quoque nec raro in hac varietate adsunt. Oculi in exsiccatis albescunt. Inde nomen apud Auctores ortum.

Var. ζ *Mas* & *Fem.* supra nigra flavo-irronata, elytrorum puncto marginati albo.

Cerc. 2 guttata Fabr. Ent. syst. 4. 55. 35. Rhyng. 97. 53.

Not. Individua quorum caput & thorax flavescunt, ad *var. a* referimus. Maculæ elytrorum marginales interdum desunt, at elytra flavo-irrorata. Vestigia fasciarum in elytris interdum observantur.

Mas, qui coloris caussa huc proxime, ad tres vero subsequentes remotius accedit, variat præcipue a) thorace toto nigro s. fusco, b) thorace nigro, margine antico flavo, c) capite solum albido.

Var. η Fem. capite thoracisque parte antica flavo-albis; elytris nigris.

Cerc. leucocephala Fabr. Ent. syst. 4. 52. 22. *Cerc. capitata* ibm 56. 41. Rhyng. 95. 39. *Cic. leucocephala* Linn. Fn. Sv. 885.

Not. Hujus varietatis non nisi specimina feminea vix dantur, subtus l. nigra l. pallida. Maculæ 2 marginales elytrorum, posteriora versus, ordinariæ, ut in antecedentibus sæpe conspiciuntur.

Var. θ. Fem. nigra, lateribus elytrorum albis.

Cerc. lateralis Fabr. Rhyng. 96. 46. Panz Fn. Germ. 1 tab. 24. *Cic. lateralis* Fabr. *Ent. syst.* 4. 35. 34. Linn. Fn. Sv. 886.

Not. Semper femina: margine abdominis, sterno pedibusque pallidis. Punctum quoque albidum elytrorum anale, rudimenti instar fasciarum, quæ huic speciei sæpius competunt, plerumque adest.

Var. ι. Fem. nigra capite thorace elytrorumque margine albis.

Cerc. Marginella. Fabr. Ent. syst. 4. 52. 20. Rhyng. 95. 37.

Not. Semper femina: abdominis margine, sterno pedibusque pallidis. Punctum elytrorum albidum anale, ut & maculæ 2 marginales interdum adsunt.

Var κ. *Fem.* supra cinereo-flavescens: thoracis postico scutello elytrisque apice fuscis.

Cercopis præusta Fabr. Ent. syst. 4. 53. 28 *Issus præustus* Fabr. Rhyng. 100. 5.

Not. Si vera sit Cercopis præusta Fabr. ad novum Genus *Issum* nullo modo pertinet, sed mera *C. spumariæ* varietas, in copula cum mare var. α deprehensa. Apex scutelli flavescens. Abdomen nigrum, margine sæpe flavescens. Margo elytrorum ad basin interdum nigricans. Colore huic valde affinis est sequens:

Var. λ. *Fem. ustulata* supra flavescens: capite, thorace, scutello, margine elytrorum baseos apiceque nigris.

Not. Rarior in pratis Esperöd Scan. obvia.

Var. μ. *Mas* & *Fem.* flavescens: scutello, vitta elytrorum longitudinali suturaqne nigricantibus.

Cerc. lineata Fabr. Ent. syst. 4. 52. 24. Rhyng. 96. 42.

Not. Pictura elytrorum nigra magis minusve distincta. Mares hujus varietatis rariores, in copula cum feminis varietatum α & β conjunctos vidimus. — Cum specie sequenti non confundi debet.

Var. ν. *Fem.* cinereo-flavescens: thoracis postico, scutello lineaque lata suturali fuscis.

Cerc. vittata Fabr. Ent. syst. 4. 53. 25 Rhyng. 96. 45?

Not. Habitat hæc, licet rarior, una cum ceteris hujus speciei varietatibus, in pratis humidis Esperöd, prope Stenshufvud in Scania.

** *Elytris capite vix latioribus.*

6. *C. lineata* supra cinereo-flavescens: elytris lævibus capite vix latioribus vitta abbreviata atra, albo-costatis.

Act. Holm. 1805 p. 251. *Cicada lineata* Linn. Fn. Sv. 888. *Cerc. abbreviata* Fabr. Ent. syst. 4. 36. 41 Rhyng. 96. 47.

Mas & Fem In gramine pratorum Höberg Vestrogoth. & Esperöd Scan. haud infrequens, *Cercope spumaria* non major, at paullo angustior. Caput & thorax superficie inæquali subflavescentia vel immaculata, vel striga dorsali impressa fusca. Elytra lævia. oculo armato sericeo-nitent. Juxta marginem vitta atra adest, terminata antequam apicem attingit. Inter has lineas laterales, suturam versus, exstant nervi paullo obscuriores; ipse margo elytrorum exterior albus; apex vero, præsertim in mare, ater. Margo abdominis pedesque flavescunt: macula inter pedes anteriores, ut in *C. spumaria* nigra nitidissima.

Not. Descriptio *Cicadæ lineatæ* Linn. Fn. Sv. in hanc optime, in *Cerc. spumariæ* varietatem *μ* pessime quadrat. Præterea hæc nostra *Cerc. lineata* differt: corpore angustiore, capitisque angulo frontali paullo acutiori, quam in *C. spumaria.* — Mas, uti mos est, femina paullo minor & obscurior, variat rarius: elytris fere totis nigricantibus. Copulationem hujus speciei sæpius observavimus.

7. *C. campestris* cinereo-flavescens, elytris lævibus capite non latioribus: maculis 2 lateralibus albo-nitentibus.

Act. Holm. 1805 p. 252.

Mas & Fem. supra flavescens sericeo-nitens. Verticis stemmata 2 rufa & thoracis puncta 5 ordina-

ria impressa adsunt. Elytra sub-pellucida impunctata, margine plerumque alba. Maculæ præterea s. fasciæ 2 transversæ albæ, quarum posterior sæpe obsoleta. Nervi elytrorum obscuri. Corpus subtus vel fuscum margine lutescens, l. pallidum: pedibus concoloribus, tarsis nigris. Macula pectoris nigra nitidissima.

Not. Præcedente minor & angustior. Longit. 2 ½ lin.

Mas paullo minor, scutello plerumque luteo picto. *Fem.* striga fusca, Caput, thoracem scutellumque transeunte notatur. In pascuis editioribus & sterilibus mense Augusto in Scania frequens. In pratis humidis, ubi potissimum versatur *C. spumaria*, vix occurrit.

8. *C. exclamationis* nigra, elytris lævibus capite vix latioribus: linea marginali et maculis duabus transversis albis.

Act. Holm. 1805 p. 253. *C. exclamationis.* Thun 6. Act. Ups 4. 24. 40.

Mas & *Fem.* in Scania minus frequens. In Vestrogothia prope Höberg copiose lecta. Statura præcedentis, at minor. Longit. 2 ¼ lin. — Supra nigra. Thoracis impressiones ordinariæ adsunt. Elytra nigra: nervis elevatis; linea alba marginalis e basi ducta, in medio elytri in fasciam pellucidam fere desinit. Pone hanc, macula altera alba, quæ apicem curvatim atttingit. Margo abdominis & pedes flavescunt. Macula pectoris nigra nitidissima.

Not. Inter species *Cercopis* Sveciæ minima.

EUPELIX *Caput* magnum, horizontaliter porrectum, planiusculum, triangulare, compressum. *Thorax* transversus postice sub-emarginatus. *Tibiæ* posticæ spinulosæ.

Genus hocce a Cel. GERMAR in *Magazin d. Entomologie* 4. pag. 93. descriptum, unicam modo speciem continet, ad *Cicadam* olim adnumeratum. Differt quoque a *Cicada* statura corporis magis depressa, magnitudine capitis attenuati majori, magis triangulari, vertice magis inæquali. thoracisque postico, pro receptione scutelli evidentius emarginato, &c. *Scutellum* autem *tibiæ spinulosæ* & *genitalia* generis *Cicadæ* sunt.

1. *E. cuspidata* grisea, capite cuspidato; apice fusco-maculato; nervis elytrorum elevatis.

Eupelix cuspidata GERMAR l. c. *Cicada cuspidata* Fabr. Ent. syst. 4. 46. 86 Rhyng. 79. 86. Act. Holm. 1806 p. 8.

Mas & *Fem.* Habitat passim rarior. In Nyvång sub fruticibus collium Esperöd Scan. mense Julio; pascua sterilia & editiora inprimis amans; *Cercope spumaria* vix longior, at multo angustior & aliter constructa. Oblonga, tota grisea, depressa. Caput magnum, porrectum, planiusculum, depresso-attenuatum, subtus & supra carinatum, apice l. brunneo-l. nigro-maculatum. Carina verticis thoracem quoque transit. Oculi exserti brunnei. Thorax subquadratus, transversim longior, postice paullo emarginatus: scutello triangulari. Elytra parum convexa, nervis longitudinalibus elevatis instructa, punctis aliquot nigris, interdum obsoletis, notata. Abdomen maxima ex parte pallidum. Pedes pallidi: tibiis, præsertim posticis, sat crebro & distincte spinulosis. — Variat mas: capite fere toto nigricante, vel subtus & supra magis nebuloso, quam in femina. — *Larva* tenuis, depressa, a structura capitis facile dignoscitur.

Not. *Cicada depressa* Fabr. hujus Generis videtur?

CICADA *Caput* horizontale, subtus convexum. *Thorax* latitudine subæquali, postice non emarginatus. *Tibiæ* triplici serie spinulosæ.

Statura corporis varia, vel oblonga, vel obtusa, vel angustata; corpore sæpe molli. *Caput* subtus (frons) convexum, transversim, sæpe interrupte striatum, supra sæpissime æquale, antice vel attenuatum & in angulum magis minusve acute porrectum, & triangulare, vel crassiusculum, vel rotundatum. *Thorax* transversus, subquadrangulare, at latitudine longior, postice non emarginatus. *Scutellum* triangulare, ante apicem linea impressum. *Elytra* vel incumbentia, vel deflexa, abdomine non longiora. Tibiæ triquetræ, spinulis numerosissimis trifariam (posticæ inprimis) armatæ. Genitalia sæpissime pilosa.

Hospitium in gramine & in foliis (non in spuma). *Larvæ* in gramine versantur, succum vegetabilium haurientes, more imaginum saltantes. A *Cercope* differt Cicada: structura thoracis & inprimis armatura pedum diversa. A *Jasso*: structura verticis latiori.

Not. Nomen *Cicadæ* genericum, in *Tettigoniam* GEOFFR. commutavit Cel. GERMAR. Sed major specierum numerus, sub nomine *Cicadæ* & apud Ill. à LINNÉ & Cel. FABRICIUM, nomen usitatissimum retinendum urget.

Dispositio specierum a statura corporis capitisque structura dissimili.

Sect. I. Capite in angulum porrecto.

a) *Capite attenuato.*

1. *C. rustica* obscura capite plano: margine antico attenuato sub-adscendente; elytris elevato-nervosis non fasciatis.

Cicada rustica Act. Holm. 1806 p. 8. *Cercopis* Fabr. Ent. syst. 4. 54. 33 Rhyng. 97. 51. Var. fem.? *Cerc. strigata*, *variegata*, *striatella* Fabr. Ent. syst. & Rhyng. It. *Cerc. transversa* Fabr. Suppl. p. 523 verisimiliter varietatis masculæ, *Cic. nervosa* Schranck l. c. p. 252 (exclus. Synon. Linn.).

Mas & *Fem.* colore dissimiles, juxta agros & in arvis mense Augusto & Septembre copiosissime hospitantes. Magnitudo fere *Cic. viridis* at paullo latior. Mas supra brunnescens: capite thoraceque lineis 2 transversis, elytrorumque nervis albis. Abdomen viventis atrum. Pectus & pedes brunnea. In junioribus color pallidior, elytrorum nervi modo virescentes, modo non colorati, pectus, frons & pedes pallida — Caput in utroque sexu subtilissime punctulatum, margine antico attenuato, sub-adscendente, ut & color corporis obscurior speciem hanc a reliquis distinguit. — *Feminæ* caput in medio linea glabra, per thoracem punctulatum & scutellum sæpe continuatum notatur. Oculi viventium l. virides l. fusci. Abdomen vel obscurum vel pallidum. Foveolæ duæ in thoracis antico plerumque adsunt. Pro ætate & colore valde variant feminæ.

Var. α. cinereo-brunnea: capite supra nigricante l. concolore; pectore viventis albo. Adultior.

Var. β. pallide seu viridi-grisea: atro-nebulosa; nervis elytrorum nigro-punctatis, abdomine pedibusque modo fuscis, modo pallidis. Adulta.

Var. γ. tota testacea, elytris impunctatis. Junior.

Var. δ. supra grisea atro-nebulosa; margine suturali guttis nigris & tribus albis minutis; abdomine fusco.

Var. ε. fusca l. nigra: elytris obscure-nebulosis s. totis fuscis. Adulta.

Not. Cohabitant hæ varietates, & larvæ imaginibus haud dissimiles Mas nuper exclusus albescens, femina nuper exclusa pallide-virescens. Inde sæpe accidit, ut in individuis exsiccatis color plane permutetur.

2. *C. albifrons* capite paullo declive et thorace lævibus, elytris in mare albo-fasciatis; in femina albo-nigroque maculatis; alis albis.

Cic. albifrons. Linn. Fn. Sv. 884. var. fem. *Cic. subrustica* Act. Holm. 1806 p. 10.

Mas & Fem In arvis cultis Scaniæ mense Julio ad urbem Cimbrishamn valde frequens. Mirum sane, quod in tanta individuorum copia, ne unicum quidem par copulatum vidisse nobis contigerit. Individua autem simul cohabitantia structuraque capitis, ut & statura corporis proxime inter se convenientia unam eandemque speciem verisimillimum constituunt.

Mas *Cic. affinis* Act. Holm. 1806 p. 13. Statura brevis, obtusa. Longit. 2 lin. Caput & thorax glabra non rugulosa. Color præterea valde variabilis, sæpius albus & ferrugineus. Elytra incumbentia, subquadrata, sæpius albo-fasciata, in apice semper alba. Alæ albæ, completæ.

Var. α. alba, capite supra fusco; oculis, tibiis, ano & fasciis elytrorum subtribus, nigris: prima interrupta. Junior.

Var. β. testacea, fasciis elytrorum tribus albis, ultima terminali; pectore plerumque albo; abdomine fusco. Junior.

Var. δ fusco-ferruginea: fasciis elytrorum præter terminalem vix ullis. Antecedentibus sæpissime minor. *Larva* tarda, orbiculata, alba, fasciis 3 nigris cincta.

Fem. feminæ *C. rusticæ* subsimilis, at triplo fere minor. Differt quoque: capite crassiore, nec antice ita adscendente, potius paullo declinante, angulo frontali non ita prominulo, nec ita attenuato. Præterea capitis thoracisque superficies lævis & convexior. Frons sæpius alba. Corpus l. fuscum l. pallidum. Alæ completæ. Longit. 2 ¼ lin.

Var. α. fusca, elytris griseis: nervis nigromaculatis.

Var. β. fusca, elytris nebulosis s. fusco-irroratis; sutura tota sæpius alba.

Var. γ. obscura, elytris fusco-striatis: nervis pallidis.

Var. δ. pallida, fronte alba; elytris vel parum nebulosis vel immaculatis. Junior.

Larva imagini subsimilis. Puncta elytrorum alba, in var. α pro ætate magis minusve conspicua, in adultis distinctiora sunt. Frons & pedes modo fusca, modo pallida. Differt mas a mare sequentis: structura capitis convexiori & crassiori.

3. *C. 2-fasciata* fusca, capite attenuato planiusculo subadscendente; elytris obtusis albo-2-fasciatis.

Cic. 2 *fasciata* Linn. Faun. 898. Act. Holm. 1806 p. 12. *Cic.* 3 *fasciata* De Geer Ins 3. 186. 6. tab. 11. fig. 25. *Cerc.* 3 *fasciata* Fabr. Ent. syst. 4. 56. 42. Rhyng. 98. 58.

Mas & Fem. Habitat in gramine & ad sepes lapideas mense Augusto & Septembri sat frequens. Fa-

cies *Cic. rusticæ* at multo minor, præcedente paullo robustior. Longit. 2 $\frac{1}{4}$ lin. & ultra. Color corporis valde variat. Differt a *Cic. albifronte:* capitis margine antico attenuato, subadscendente, ruguloso. A *Cic. rustica*: magnitudine minori ut & pictura elytrorum. Elytra subquadrata. Alæ rarissime completæ.

Mas. Var. α. nigra, thoracis linea transversa, fasciis elytrorum 2 interruptis, albissimis, pectore & gula albis, abdomine pedibusque pallidis; alis albis incompletis.

Var. β. nigricans s. brunnea: fronte, pectore, femoribus posticis elytrorumque fasciis 2 interruptis albis; alis incompletis. Color elytrorum post mortem in brunneum sæpe abit. Linea thoracis alba interdum obsolete adest; at fascia elytrorum alba terminalis abest. In hac varietate brunnea fasciæ elytrorum minus sunt evidentes, magis saltim interruptæ, quam in varietate præcedente.

Fem. Var. α. supra grisea, thoracis linea postica transversa (sæpe obsoleta) elytrorumque nervis elevatis sæpius nigro-maculatis fasciisque 2 interruptis (plerumque obsoletis) albis; alis albis (incompletis) rarissime completis.

Var. β. spuria griseo-fusca elytris mox pallidis mox fuscis: nervis albo-nigroque sæpe punctatis; alis albis incompletis. Corpus modo fuscum modo testaceum: fronte pedibusque pallidis. Var. hæc spuria reliquis paullo major & forte junior, in varietatem α forsitan abit. A *Cic. albifronte* var. δ. structura capitis solum diversa: a *Cic. rustica* vix nisi magnitudine multo minori discernitur. Hinc facile concludi potest, hanc varietatem mutationi esse obnoxiam.

Not. Synonyma Auctorum heic citata ad sexum Masculinum hujus speciei modo spectant.

b) *Capite crassiusculo.*

* *Oblongæ.* (alis deflexis).

4. C. *viridis* elongata, capite flavo: maculis 2 verticis nigris, subtus compresso-gibbo; elytris viridibus.

Linn. Faun. 896. Fabr. Ent. syst. & Rhyng. 75. 65. Panz. Faun. Germ. Act. Holm. 1806 p. 15. *Tettigonia* Germar Mag. d. Ent. 4. 72.

Mas & *Fem.* in pratis uliginosis mense Augusto frequens. Oblonga, inter majores Sveciæ Cicadas numeranda. Longit. 3½ lin. — Corpus subcylindricum. Caput subtus valde gibbum: gibbositate compressa transversim striata Elytra obvolventia. Alæ cæruleo-hyalinæ. Abdomen maris cœruleum, Feminæ subtus flavum. Præterea differt mas: elytris obscure-cærulescentibus. Femina: elytris viridibus.

Variat Mas rarior: elytris pellucidis striatis: nervis scilicet crassis, obscuris. Præterea colore vix variat hæc species.

5. C. *interrupta* elongata, capite subtus compresso-gibbo, supra flavo nigroque maculato, elytris flavis: linea nigra duplici interrupta longitudinali.

Cic. interrupta Linn. Faun. 889. De Geer Ins. 3. tab. 12 fig. 6. Fabr. Ent. syst. & Rhyng. 76. 67. Act. Holm. l. c. p. 15. — *Tettigonia* Germar l. c.

Mas & *Fem.* Habitat passim cum præcedente non infrequens. Statura fere C. *viridis*, subcylindrica. Caput subtus gibbum: gibbositate compressa transversim striata. Corpus supra flavum, nitidum: capitis thoracisque macula connata nigra. Abdomen præsertim in mare nigrum, in femina margine flavum. Frons & pedes flava. Alæ nigro-hyalinæ. Longit. 3 lin.

6. C. *interstincta* elongata, capite subtus compresso-gibbo, supra albo nigroque maculato; elytris pallidis: maculis et lineis obsoletis nigris.

Act. Holm. 1806 p. 16. *Tettigonia acuminata* Germar. l. c. p. 72. verisimiliter ejusdem Femina.

Mas & *Fem.* in pratis Esperöd mense Augusto & Septembri cum præcedente sat frequens. Magnitudo & statura omnino *C. interruptæ.* Caput albidum: macula irregulari verticis nigra; subtus gibbum: gibbositate compressa transversim striata. Thorax niger Elytra griseo-alba s. pallida, maculis aliquot longitudinalibus nigris obsoletis conspersa. Abdomen, præsertim in mare, nigricans: ano parum piloso, in femina acuminato, & elytra excedente. Alæ nigricantes. Pedes pallidi. Elytra & alæ omnino completa.

Not. Habitu & capitis structura simili inter se conveniunt 3 species proxime antecedentes. Elytra autem in *C. viridi* deflexa, in *C. interrupta* & *interstincta* incumbentia. — *Larvæ* harum specierum frequenter obviæ, ab habitu & colore imaginum facile dignoscuntur.

** *Breviusculæ* (alis incumbentibus truncatis).

7. *C undata* capite triangulari acuto, flava: vitta elytrorum suturali ferruginea, repando-dentata.

De Geer Ins. 3. 185. 5. tab. 11. f. 24. Act. Holm. 1805 pag. 17. *Cic. vittata* Fabr. Ent. syst. 4. 35. 33. Rhyng. 67. 23 synonymo Linn. excluso.

Mas & *Fem.* In Vestrogothia, D. Gyllenhal; in Scania rarior. *Cerc. spumaria* paullo brevior, & multo angustior. Corpus fere oblongum, flavum:

abdomine parum infuscato (in exsiccatis). Structura capitis acuta, huic speciei propria, nec in aliis nostris speciebus observata. Vitta e fronte per thoracem & suturam elytrorum ferruginea, dentata. Apex elytrorum truncatus, abdomen superans. Pedes flavissimi.

Not. Caput in hac & in speciebus sequentibus subtus æqualiter convexum.

8. *C. histrionica* supra nigra nitida: thoracis lineis 2 transversis elytrorumque pluribus longitudinalibus albis.

Act. Holm. cit. p. 19. *Cercopis* Fabr. Ent. syst. 4. 56. 4. Rhyng. 98. 62. *Jassus* Germar loc. cit. p. 89.

Mas & Fem. in Scania mense Julio & sequent obvia. Parva, *C. undata* duplo fere brevior. — Caput *maris* nigrum: lituris, puncto & ore albis. Thorax niger: lineola parva antica & altera latiori postica transversa alba. Scutellum nigrum. Elytra nigro-nervosa: interstitiis hyalinis, albissimis striata. Nervi autem ante apicem elytri terminantur fascia transversa nigra. Ipse apex albus, truncatus. Inde elytrorum incumbentium figura subquadrata. Pedes & alæ alba. *Femina* mare paullo latior; similiter picta; at nigredo magis in brunneum abit. Scutellum quoque albo-maculatum; striæ elytrorum latiores, & fascia postica transversa magis obsoleta. Corpus subtus album: ano vix piloso. Pedes pallidi, tibiis infuscatis. Alæ albæ.

Not. Mas valde frequens. Femina rarior. Illius color magis albicans; hujus statura latior. — *Cic. striata* Linn. Fn. 887 vix huc pertinet. Hujus vero descriptio in loco cit. sane deest.

9. *C. ventralis* flava, capite thoraceque nigro-impresso-punctatis.

Act. Holm. cit. p. 18.

Mas & *Fem.* Habitat in Scania. In pratis Esperöd *Korum* dictis, aliquoties copiose lecta. — Statura & magnitudo *C. histrionicæ.* Longit. 2 lin. — Corpus flavum. Nigra tamen sunt: oculi, puncta minuta capitis octo (2 ante oculos, 2 in ipsa fronte, & 4 in vertice), puncta thoracis antica in serie transversim impressa, quæ nigridine interdum carent, punctaque tibiarum. Dorsum abdominis in mare plerumque nigrum; venter autem flavus in basi segmentorum nigrescit. Pedes flavi. Alæ hyalinæ.

Not. Punctis capitis thoracisque impressis e speciebus concoloribus mox dignoscitur.

10. *C. abdominalis* flava, subtus atra: elytris obtusis summo apice fuscis.

Act. Holm. cit. p. 18. *Cerc. abdominalis* Fabr. Rhyng. 98. 61. *Cic. bicolor.* Ent. syst. 4. 40. 55. *Jassus* Germar l. c. 91.

Mas & *Fem.* in gramine ubique valde frequens. Supra tota flava s. virescens, elytris truncatis summo apice solum fuscis. Frons flava, in medio atra. Corpus viventis cæruleo-atrum: margine & ano flavescentibus. Pedes flavi. Tibiæ posticæ magis spinulosæ: basi spinarum nigra. Tarsi postici fusci. Alæ fuscescentes.

Var. β. Mas & *Fem.* ventre flavescente. Junior.

Not. A. *C. ventrali* qua vix minor, at similiter constructa, absentia impressionum capitis punctiformium mox dignoscitur. A sequentibus concoloribus: statura corporis obtusiori &c.

11. *C. pascuella* flavescens, elytris pellucidis: margine albicantibus.

Mas & *Fem.* Parva, in pascuis ubique valde frequens, *C. abdominali* minor & mollior. Statura & summa similitudo *C. ocellaris*, cujus varietatem juniorem & nuper exclusam diu credidimus. Differt autem: elytris nullo modo pictis & inprimis costa elytrorum antica albida, quæ in *C. ocellari* semper concolor est. Corpus præterea in *C. pascuella* magis flavescit; ventre abdominisque dorso sæpe immaculatis. Frons quoque pallidior, striis distinctioribus transversis picta. Vertex autem maculis & lineis coloratis vix notatur. Pedes flavi, tibiis & tarsis plerumque nigro-punctatis. Femora interdum nigro-maculata. Elytra hyalina: linea e basi ad medium costæ albida. Nervi albicantes, similiter atque in *C. ocellari* dispositi. Tarsi immaculati, an semper?

Var. β. Abdominis dorso nigro.

Not. Valde affinis quoque est *C. assimili*; at costa elytrorum albicans alteram ab altera distinguit.

12. *C. costalis* flavescens, abdominis dorso atro; elytris hyalinis; margine exteriori albo-nigroque punctato.

Mas & *Fem.* similes. In pascuis Esperöd rarissime inventa. Statura omnino *C. ocellaris*, & forsitan ejus varietas singularis. Differt autem: colore frontis pectorisque flavo, ut & pictura elytrorum antice immaculata; postice autem & pone medium adsunt maculæ albo-hyalinæ, quæ in ipsa costa evidentiores sunt, maculis fuscis interruptæ, haud aliter atque in *C. ocellari*. Abdomen supra atrum subtus magis flavescens: margine & ano flavum. Macula genitalium atra. Pedes flavi: spinarum basi in tibiis posticis ut & annulis tarsorum nigris.

Not. Similem e Finlandia misit Cel. Sahlberg. — Macula opposita versus apicem elytrorum nigra in altero specimine adest. Pictura elytrorum plerumque obsoleta, oculo armato evidentior.

13. *C. ocellaris* atra nitida, capite thoraceque luteo-variegatis; elytris flavescentibus; ocellis mediis oblongis apicisque rotundis nigris.

Act. Holm. cit. p. 20. (*Cerc. reticulata* Fabr. Ent. Syst. 4. 57. 46. Rhyng. 98. 64. varietas forsitan detrita).

Mas & Fem. In arvis Scaniæ cultis frequentissima mense Augusto & Septembri. Larva mense Julio frequens. Parva & *Cic. histrionica* paullo angustior. Longit. 2 lin. — Caput, thorax & scutellum flava, obsolete luteo-maculata. Caput subtus (frons) & abdomen cæruleo-atra. Elytra obtusa flavescentia, ocellis oblongis & circularibus nigris pupillisque albis, (pro directione nervorum) interdum pulchre picta. Hi autem ocelli prope apicem elytrorum semper circulares. Pedes l. atri l. flavi: tibiis ad basin spinularum nigro-punctatis tarsisque nigro-annulatis. Alæ albidæ versus apicem fusciores. Anus in femina semper flavus. Elytra variant: pictura l. saturata l. obsoleta; oculo tamen armato in certo luminis situ semper deteguntur ocelli.

Var. β. saturate picta, elytris nigricantibus: fasciis & punctis irregularibus albis, femoribus tarsisque nigris, rarissime inventa. Hujus speciei videtur.

Not. Individua saturate ocellata mense Septembri imprimis leguntur. Frons in hac specie sæpissime l. tota atra l. striis transversis confluentibus atris picta. At in *Cic. pascuella* frons l. tota flava l. striis

atris distinctis notata. Præterea maculæ capitis thoracisque luteæ, licet sæpe obsoletiores, in *C. ocellari* semper observantur; at in *C. pascuella* (ut in individuis *C. costalis* hactenus a nobis contemplatis) omnino desiderantur.

14. *C. russeola* lutescens capitis angulo antico rufescente elytrisque obtusis; alis albicantibus.

Mas & Fem. in arvis Esperöd rarissime & in Finlandia a Cel. SAHLBERG capta. Statura parva *C. ocellaris*, a qua differt, præter picturam diversam, capitis angulo antico obtusiori, unde caput brevius adparet. Corpus obscurum in femina l. lutescens l. rufescens, concolor: abdominis dorso infuscato. Mas supra lætior subtus obscurior; an semper? — Frons pallide rufescens subtus vix striata. Elytra subtestacea, immaculata, pallide nervosa. Directio nervorum ut in *C. ocellari.* Pedes immaculati, modo in basi spinarum leviter nigro-punctati.

15. *C. pulicaris* cæruleo-atra nitida, capite thoraceque fusco fulvoque maculatis; elytris hyalinis varie obsolete fusco-maculatis.

Act. Holm. l. c. p. 21.

Mas & Fem. juxta agros Esperöd frequentissime obvia, magnitudine vix pulicis. Longit. $1\frac{1}{4}$ lin. — Caput, thorax & scutellum in utroque sexu griseo-fusca & obsolete variegata. Elytra quoque obtusa l. subquadrata, pellucida: maculis oblongis pluribus obsoletis fuscis notata, interstitiis pallidioribus. Alæ albidæ. Corpus viventis cæruleo-atrum, pedibus sæpe pallidis.

*** *Angustatæ* (corpore elongato).

16. C. *assimilis* virescens: abdominis dorso atro; capite in angulum prominente; elytris immaculatis.

Act. Holm. cit. p. 22.

Mas & *Fem.* similes. In pascuis mense Augusto, ad Svabesholm Scaniæ copiosissima. Parva & angusta, vix longit. 2 lin. — *Cic. pascuellæ* simillima, at paullo longior elytrisque concoloribus nec margine albis instructa. A *Cic. virescente*: structura capitis angulata; nec aliter distingui potest. Corpus & pedes viridi-flava: abdominis dorso nigro. Variat Mas: ventre nigricante.

17. C. *striata* flavescens nitida, capite thoraceque longitudinaliter albo-striatis; elytris subgriseis margine interiori nigro-striatis.

Act. Holm. cit. p. 21. Fabr. Ent. syst. 4. 39. 51. Rhyng. 77. 44. Linn. Syst. Nat. & Fn. Sv. 887.

Mas & *Fem.* per totam æstatem in arvis frequentissima. Inter minores species numeranda, elongata & angustata, vix longit. 2 lin. — Caput subtus pallidum: lineolis transversis, supra luteo-pictum. Thorax lineis 3-5 longitudinalibus albis striatus. Elytra incumbentia reticulato-albo-nervosa, interstitiis fuscioribus; in margine, inprimis suturali, subtilissime nigro-striata, striis (sæpe obsoletis) ad angulum acutum versus suturam ductis. Corpus subtus pallidum: abdomine maris fusciori.

Not. Variat pro ætate l. saturate l. magis minusve obsolete nigro-striata. Statura corporis elongata & angustata, ut & striæ thoracis albæ, quæ

oculo armato optime conspici possunt, notas suppeditant constantes. Præterea color elytrorum sæpius magis, quam in speciebus maxime affinibus, grisescens. Hanc speciem eandem esse ac *Cic. striat.* Linn. & Fabr. verisimillimum putamus. A *Cerc. striata* Fabr. (*Cic. rustica*) revera diversissima. — Individua magis saturate striata mense Augusto nobis obvia fuerunt.

Sect. II. Capite antice subrotundato.

a) *Elytris incumbentibus obtusis.*

18. *C. agretis* fusca, nebulosa nitida, capite margine antico attenuato, alis albis.

Act. Holm. cit. p. 23.

Mas & Fem. Habitat in Vestrogothia D. Gyllenhal; in Esperöd Scaniæ rarior, *Cerc. spumaria* non longior at angustior, longit. fere 3 lin. — Caput antice rotundatum attenuatum, subtus vix striatum. Corpus supra griseum s. brunneo-nebulosum, nitidum: nervis elytrorum in sexu femineo pallidioribus. Abdomen & pectus obscura. Pedes fusci. Cum individuis *C. plebejæ* majoribus facillime confundi potest, nisi caput attenuatum attente consideretur.

Not. Statura corporis in speciebus hujus subdivisionis depressiuscula & latior, in quibusdam breviuscula; in subdivisione sequente statura magis cylindrica & elongata. Structura capitis harum subdivisionum ex omni parte non est antice rotundatum. Vestigium autem adest anguli prominentis, sæpius obtusissimi. Præterea caput subtus convexum: apice minus magisve crassiusculum.

19. *C. plebeja* supra griseo-nebulosa nitida, capite antice crassiusculo pedibusque ni-

gro-punctatis, elytrorum nervis alisque albis.

Act. Holm. cit. p. 24.

Mas & *Fem.* in gramine mense Junio & seqvente valde freqvens. Magnitudo variat. Individua majora feminea longitudinem habent 2 ½ lin. & ultra, minora 2 lin. & infra. Mares feminis semper fere minores. Oculi viventium ferruginei. Antennarum primus articulus niger. Caput, thorax & scutellum flavo- griseo-variegata & maculata. Frons maculis nigris 6, sæpe obsoletis, vix ullis notata, & subtus transversim striata. Elytra nebulosa, subpellucida, albo-nervosa (interdum interrupte). Abdominis dorsum atrum: margine flavo; subtus pallidum, fusco-variegatum. Pedes l. pallidi, l. nigro-punctati. Alæ albidæ.

Var. β. *Mas* & *Fem.* elytrorum maculis 2 ad suturam albis.

Var. γ. *Mas* minor; corpore toto obscuro, elytris confertim fusco-nebulosis.

Var. δ *Mas* minor, elytris striatis pallidis: interstitiis nigris.

Not. Habitu & colore ad *Cic. reticulatam* tam prope accedit *Cic. plebeja*, ut notæ discernentes sine magna diffficultate vix exprimi nec intelligi queant. Colorem tamen in *Cic. plebeja*, oculo armato observata, in brunneum non ita vergentem, caput semper nigro-punctatum, alas magis albicantes staturamque, pro magnitudine minori, latiorem semper invenies. Var. Masculæ γ. & δ. cum ceteris cohabitantes semper fusciores, ad species diversas & nondum cognitas, vix referri debent?

20. C. *transversa* fusca, fronte verticisque linea incurvata, transversa, nigris; elytris albo-nervosis: interstitiis fusco-striatis.

Mas & *Fem.* Rarissime obvia cum *Cic. plebeja.* Varietate ejus ♂ parum minor, ei quoque pictura elytrorum valde similis. Corpus obscurum: fronte nigra, interdum pallido-variegata. Apex capitis crassus (nec attenuatus): punctis sæpe 2 nigris. Vertex pallidus: linea distincta, nec tenui deorsum flexa, in utroque sexu nigra. Thorax, antice inprimis, & scutellum confluenter nigro-punctata. Elytra albo-nervosa, striata: striis scilicet interstitiorum fuscis. Pedes l. atri l. pallidi, nigro-maculati. Alæ albicantes.

Not. Differentia hujus speciei non nisi *ægre* proponi & erui potest. A *Cic. plebeja* ejusque varietatibus minoribus, quibus primo intuitu similis est, statura corporis paullo angustiori & inprimis oculis magis exstantibus, thoracem scilicet paullo superantibus, dignoscitur. Præterea linea verticis supra oculos nigra & latior, constantem præbere notam videtur. A *Cic. striola* colore elytrorum & statura corporis obtusiori facile distinguitur.

21. *C. venosa* grisea, capite thoraceque nigro-punctatis; elytris hyalinis: nervis nigris crassis.

Act. Holm. cit. p. 25.

Mas & *Fem.* in arvis Esperöd mense Augusto haud infrequens. Minuta, brevis & obtusa, supra grisea, longit. 1 ½ lin. Caput antice crassiusculum nigro-punctatum. Inprimis autem in fronte puncta duo adsunt rotunda nigra. Thorax lineatus: punctis 2 rotundis nigris in ipso margine antico. Scutellum sæpe nigro-punctatum. Elytra hyalino-grisea, nervis evidentissimis instructa. Abdomen sæpe fuscum, in vivis cæruleo-atrum: margine feminarum pedibusque griseis. Anus vix pilosus. Larva imagini similis, at aptera: segmentis nigro-annulatis.

Not. Caput hujus speciei distincte brevius & angustius quam in conspeciebus, eoque respectu faciem *Jassi* aliquantulum habet, ad *Cicadam* tamen rectius adamanda. Structura enim frontis *Cicadæ* est.

22. *C. aureola* supra viridis, abdomine cæruleo-atro; fronte pedibusque luteis.

Act. Holm. cit. p. 25.

Mas & *Fem.* juxta agros Esperöd & in campis sterilioribus interdum sat frequens. Species distinctissima, brevis, obtusa, hujus divisionis minima, longit. $1\frac{1}{4}$ lin. Caput antice crassiusculum & thorax flavo-virentia, leviter luteo-picta. Abdominis margo in femina & anus in utroque sexu vix pilosus flavo maculati. Frons & pedes semper lutea. Pictura lutea in exsiccatis deletur.

b) *Elytris subdeflexis.*

23. *C. nervosa* capitis antico subattenuato, supra brunescens; elytris tenuiter albo-nervosis: interstitiis fusco-lineatis, sub-ocellatis.

Femina in arvo Esperöd semel lecta, *Cic. reticulata* non minor nec ei dissimilis, præter structuram capitis magis attenuatam, picturamque elytrorum lineatam. Frons obscura transversim striata. Vertex flavescens, apicis linea tenuissima recurva nigra. Thorax pallescens vix infuscatus. Abdomen atrum, margine flavum. Elytra pellucida, albo-nervosa: striis & circulis oblongis; juxta apicem elytri rotundatis, in interstitiis nervorum fuscis. Linea marginalis elytrorum nigra, sex vicibus albo-interrupta. Pedes pallidi, nigro-maculati. Alæ cærulescentes.

Mas.

Not. Pictura elytrorum ut & structura capitis paullo attenuata, speciem a sequente diversam, prodere videntur. In *Cic. striatula* eadem & similis est pictura elytrorum, sed species ab hac vere distincta.

24. C. *reticulata* capitis antico crassiusculo, supra brunnescens nitida: elytris nebulosis albo-nervosis; alis nigricantibus.

Thunb. Act. Ups. 4. 21. 37. var. Act. Holm. 1806 p. 26. *Cic. lineata* Fabr. Ent. syst. 4. 36. 39. *Jassus* Rhyng. 87. 9.

Mas & Fem. sub arbustis in gramine pratorum sat frequens. Magna in boc genere & colorem pro diversa ætate sat varians. *Fem.* longitudinem *Cic. viridis* attingit, sed robustior. Uterque sexus supra colore griseo s. brunneo-fusco sæpius pingitur. Oculi viventium ferruginei. Frons striis sæpe confluentibus nigris picta. Apex verticis puncto & linea transversa incurva, sæpe irregulari & obsoleta, interdum nulla notatur. Elytra subtiliter nebulosa, nervis maculisque obsoletis, albis, instructa. Pedes pallidi nigro-punctati.

Var. β. Mas & Fem. magis saturate picta; virescens: punctis sæpe confluentibus fuscis; nervis & maculis irregularibus evidenter albis. *Mas* subtus ater. *Fem.* subtus plerumque pallida.

Not. Cave ne cum *C. plebeja* confundatur hæc nostra species, quæ ad *Jassum* minine pertinet.

25. C. *prasina* flavo-viridis, alis cærulescentibus.

Fabr. Ent. syst. 4. 38. 46. Rhyng. 77. 70. Act. Holm. cit. p. 27.

Mas & *Fem.* in fruticibus pratorum frequentior. Magnitudo fere *Cic. viridis*, at statura omnino *Cic. reticulatæ* paullo angustior. Supra tota flavo-virescens, nitida, immaculata, elytris pellucidis alisque cærulescentibus. Caput immaculatum: oculis fuscis. Abdomen Maris cæruleum, Feminæ subtus flavescens, basi sæpe atrum. Pedes flavi nigro-punctati.

Not. Color hujus speciei vix variat. A *Cic. virescente* differt: magnitudine majori, elytris & alis magis saturate coloratis, ut & seta antennarum breviori.

26. *C. 2-guttata* supra testacea nitida; elytrorum guttulis 2 et 2 suturalibus albis.

Act. Holm. 1806 p. 27.

Mas & *Fem.* Habitat in Vestrogothia; D. Gyllenhal. *C. prasinæ* valde affinis. Supra testacea, nitidissima: capite pallidiore, immaculato. Elytra pellucida, tenuiter albo-nervosa: guttulis utrinque ad suturam duabus, in apice nervorum dorsalium, distinctis, albis. Pedes pallidi. Alæ æneo-nigricantes, obscure nervosæ. Maris abdomen atrum, feminæ pallide testaceum.

Var. β. macula oblonga laterali elytrorum albida.

27. *C. cruentata* pallida punctis sanguineis irrorata, pedibus fronti concoloribus.

Cic. cruentata Panz. Fn. Germ. 61 fig. 15 Mas, Act. Holm. cit. p. 28.

Mas & *Fem.* in quercu Vestrogothiæ; D. Gyllenhal; in Finlandia; D. Sahlberg; in Mölleröd Scaniæ rarior. — *Cic. biguttatæ* similis, præter pi-

cturam sanguineam & guttulas suturales. Corpus supra punctis sanguineis confluentibus rarius distinctioribus irroratum. Frons maris flavescens: apice punctis 2 nigris. Oculi fusci. Abdominis dorsum atrnm, margine & ano flavescens. Pectus atrum. Pedes maris pallidi; feminæ sæpius sanguineo-irrorati. Alæ metallice nitentes. Longit. 2 ½ lin.

Var. Fem. minor, pallida vix nisi in capite & thorace sanguineo-irrorata. Macula elytrorum lateralis albida, obsoleta. Pedes toti & frons flava.

28. C. *abietina* pallida nitida, elytris vitta suturali repanda et apice brunneis, macula disci obscuriori.

Act. Holm. cit. p. 28.

Habitat in frondibus Abietis Vestrogothiæ; D. Gyllenhal. In Finlandia; D. Sahlberg. — Præcedenti affinis & sat similis. Long. 2 ½ lin. Frons obscura l. pallida, leviter striata. Macula parva media scutelli sub thorace adest. Vertex, thorax & scutellum utroque in sexu l. pallide-sanguineo irrorata, l. viridia immaculata (in junioribus). Elytra sæpe albida: vitta suturali repanda & apice aurato leviter brunneo, maculaque disci oblonga obscuriori. Pectus & abdomen maris atra, margine & ano modo flavis, modo nigro-punctatis. Dorsum abdominis in femina atrum: ventre pallido, in sanguineum vergente. Pedes pallidi: basi spinarum in tibiis nigra; annulis tarsorum fuscis. Alæ obscuræ, metallice nitentes.

Not. Pictura corporis post mortem sæpe perit; at notæ in diagnosi allatæ, oculo armato, facile deteguntur.

29. C. *punctifrons* viridis punctis 2 verticis nigris; elytris margine interiori fusco-maculatis.

Fem. e Finlandia a D. Sahlberg missa — Statura & Magnitudo *C. prasinæ.* Corpus virescens: punctis 2 verticis rotundis distinctis, distantibus, abdominisque dorso nigris. Frons thoracisque dorsum paullò infuscata. Distinctiores sunt maculæ oblongæ interstitiorum in parte elytrorum interiori. Corpus subtus virescens, pedibus concoloribus; basi tamen spinarum in tibiis annulisque tarsorum nigricantibus. Species dubia?

Mas.

30. *C. splendidula* capite et scutello flavis; punctis 4 capitis subquadratis et 2 scutelli approximatis nigris; elytris brunnescentibus obsolete fusco-maculatis.

Cic. splendidula elytris pallide-auratis albo-nigroque punctatis Fabr. syst. Rhyng. 79. 83. Act. Holm. cit. p. 29.

Mas & *Fem.* Habitat in Vestrogothia; D. Gyllenhal. In agris demessis Esperöd mense Augusto rarior. Supra pallide brunnea, nitidissima s. ad certum luminis situm auro-nitens. Frons sæpius flavescens, subtus nigro-striata. Puncta duo in apice capitis & duo in vertice, nigra, subquadrata. Thorax nigro-maculatus. Scutellum antice nigrum, postice flavum, in medio punctis 2 minutis approximatis notatum. Elytra pellucida: nervis tenuibus albidis & interstitiis fusco-nebulosis s. fusco-maculatis. Apiçes 2 s. 3 nervorum ad suturam albidiores, & præterea apex elytrorum nervis albis evidentioribus instruitur. Abdomen cæruleo-atrum, lateribus & ano plerumque flavum. Pedes pallidi: tibiis l. sæpe nigro-punctatis, l. posticis fuscioribus. Longit. $2\frac{3}{4}$ lin.

Not. Nervi elytrorum & maculæ in mare obsoletiores quam in femina. Pictura quoque post mortem haud raro perit.

31. C. *subfuscula* supra pallide brunnea nitida; frontis stria interoculari scutellique punctis 2 nigris; elytris brunnescentibus unicoloribus.

Act. Holm. cit. p. 30.

Mas & *Fem.* Habitat in Vestrogothia; D. GYLLENHAL. In gramine sub arbustis Esperöd minus frequens. Uterque sexus similiter coloratus. Longit. 2 ¼ lin. — Supra fusco-testacea s. pallide brunnescens, nitida. Frons subtus nigro striata. Stria inter oculos tenuis, antrorsum flexa, nigra. Vertex luteo-maculatus. Oculi viventium ferruginei. Thorax, prætertim in Mare, fusco maculatus. Scutellum nigro-punctatum: punctis 2 approximatis, quæ in Mare sunt majora. Elytra fere immaculata, magis minusve brunnescentia, tenuiter nervosa. Alæ fuscescentes. Corpus obscurum: abdominis margine in femina anoque flavis. Femora atra apice pallida. Tibiæ & tarsi pallida, nigro-punctata.

Not. Stria inter oculos hujus speciei nigra tenuis & antrorsum flexa; in sequente crassior & recta.

32. C. *striola* flavescens nitida, frontis linea interoculari nigra; scutello impunctato, elytris aureo-brunnescentibus.

Act. Holm. cit. p. 31.

Mas & *Fem.* pictura similes, in uliginosis mense Julio & Septembri juxta litus Esperöd in gramine frequens. — C. *subfuscula* duplo fere minor, scutello impunctato ab ea mox distinguitur. Caput flavescens, subtus subtiliter nigro-striatum. Linea verticis distincta, inter oculos nigra, recta. Oculi in vivis virides, in exsiccatis fusci. Thorax & scutellum flava, elytra pellucida, in brunneum vergentia

unicolora. Corpus atro-cæruleum, in femina interdum magis flavescens: lateribus & incisuris flavis. Pedes nigro-punctati.

Var. β. Thorace transversim subtilissime nigro-striato; scutello punctis 2 minutis, obsoletissimis, nigris. Rarior obvia, an ad speciem distinctam & a *C. striola* diversam, rite referri potest? A *Cic. striatula*: elytris non striatis, nec pictis, dignoscitur.

Var. γ. stria capitis confluente, a colore scilicet frontis nigro non remota.

33. *C. striatula* fusca nitida, capite thoraceque flavescentibus, punctis et lineis undulatis nigris confertim notatis; elytris striis et circulis interstitiorum nigris subocellatis.

Act. Holm. cit. p. 31.

Mas & Fem. similes. In arvis sabulosis Mellby prope Kivik in Scania mense Augusto frequentissima; in territorio autem adjacente Esperöd hactenus non obvia. Statura & magnitudo præcedentis. Caput subtus interrupte striatum. Vertex 2-s. 3-lineatus. Thorax undulis transversis pluribus subtiliter notatus. Scutellum punctis 2 approximatis nigris maculatum. Elytra magis minusve saturate nigro-striata: striis internis & circulis interstitiorum, (inprimis ad apicem elytri), ocellaribus rotundatis. Abdomen atrum, margine sæpe flavum. Pedes pallidi. Longit. 2 lin.

Not. Adest stria in margine exteriori elytrorum nigra, fere integra, nec, ut in *Cic. nervosa*, albo-interrupta.

c) *Species angustæ minores.*

(Capite antice rotundato, elytris deflexis).

*) *Capite punctis nigris distincte notato*

O 34. C. *4-punctata* supra virescens capite flavo: punctis apicis 4 scutellique 2 nigris; tibiis posticis nigro-punctatis.

Act. Holm. cit. p. 32.

Mas & Fem. Habitat in Vestrogothia; D. Gyllenhal; in Scania minus frequens. Longit. 2, lin. & ultra, statura tamen angustiori & elongata. Caput flavum: punctis anticis 2 lineatis, posticis 2 rotundatis majoribus. Scutelli puncta 2 sub thorace nigra. Nervi elytrorum tenues flavescunt. Corpus atrum: margine & ano flavo. Pedes flavi: tibiis posticis nigro-punctatis. Alæ metallice nitentes.

Not. Species hujus divisionis fere omnes minutæ, longiusculæ, plerumque virescentes, in junioribus & nuper exclusis pallidæ s. albidæ; in exsiccatis colorem viridem in pallidum semper fere permutantes, corpore molli, & capitis apice rotundato instructæ, stemmatibus s. ocellis in vertice carere videntur. Eas tamen eam ob caussum in Genere diverso collocare, neque structura ceterarum partium, neque victus & metamorphosis svadent. Eas quoque a *Tettigonia (Cicada* nostra) divellere non voluit Celeb. Germar.

O 35. C. *4-notata* virescens, capite flavo: punctis apicis 4 rotundis nigris; elytris immaculatis tibiisque vix punctatis.

Act. Holm. cit. p. 33. Fabr. Ent. syst. 4. 43. 71. Rhyng. 78. 77.

Mas & Fem. in gramine ubique frequens. Præcedente parum minor. Frons flava, non striata:

punctis 2 & 2 rotundatis distinctis in apice notata. Antennæ longiusculæ. Thorax vel totus flavus, vel viridis, margine flavus. Corpus atrum, abdominis margine & ano, præsertim in femina, flavis. Pedes flavi, impunctati. Puncta enim tibiarum posticarum, vix conspicua. Alæ albo-hyalinæ, metallice nitentes. Longit. 2 lin. & infra.

Not. A *C. 4 punctata* mox differt: punctis frontalibus rotundis omnibus, scutelli nullis

36. *C. 6-notata* virescens, capite flavo: subtus striis transversis, supra maculis 6 punctisque scutelli 2 nigris; femoribus nigrolineatis.

Act. Holm. cit. p. 34.

Mas & Fem. in pratis & in horto Esperöd ad radices graminum mense Augusto & Septembri frequentissima. *C. 4 notatæ* similis, ea tamen sæpius minor. Caput antice maculis quatuor rotundatis & lineolis 2 intermediis nigris notatum, subtus nigrostriatum. Scutellum flavescens, punctis, sub thorace sæpe reconditis, nigris, inprimis in femina pictum. Abdominis dorsum atrum. Femora anteriora subtiliter & varie nigro-lineata. Tibiæ pro insertione spinarum nigro-punctatæ. Tarsi nigro-annulati. Alæ albicantes. Color viventium viridis, post mortem in fuscum sæpe mutatur.

Var. α. Mas & Fem. lineolis capitis intermediis distinctis. Frequentior.

Var. β. Mas & Fem. lineolis capitis intermediis obsoletis, vix ullis. Puncta scutelli & lineæ pedum speciem indicant.

Var. γ. Mas & Fem. supra pallide brunnea s, fusco-maculata: punctis frontis confluentibus.

O *Var* ♂. *Mas*: capite 6 notato: punctis s. lineolis intermidiis minutissimis, vix ullis; lineola juxta oculos nigra. *Femina*: capite 4 notato & lineola juxta oculos nigra. At lineola hæc in mortuis sæpe evanescit.

Not. Varietas ♂. in copula deprehensa. *Var.* *β.* e Finlandia missa & in Scania quoque obvia, magis minusve obscura. Etenim puncta frontis confluunt, & in mare caput totum plerumque nigrescit. Thorax fusco-virescens. Scutellum flavum: maculis 2 sub thorace nigris, in disco confluentibus: at interstitio punctis 2 minutissimis notato; apice flavo. Abdomen atrum: ano flavo. Elytra virescentia maculis pluribus confluentibus, obsoletis, fuscis interdum picta.

37. *C. variata* flavescens, frontis punctis 4 scutellique 2 nigris; femoribus flavis immaculatis; elytris infuscatis.

Act. Holm. cit. p. 34.

Mas & *Fem.* In Höberg Vestrog. D. Gyllenhal. In pratis Esperöd rarior. — Caput flavum, maculis rotundis 4 distincte notatum. Thorax vel totus flavescens, vel vittis in medio 2 obsolete infuscatum. Puncta scutelli 2 antica nigra. Elytra viridi-hyalina, aureo nitida, infuscata. Abdomen dorso atrum, ventre flavum. Pedes flavi, immaculati: tibiis solum ad basin spinarum leviter nigro-punctatis. Alæ albicantes. Longit. 1 $\frac{3}{4}$ lin.

O *Var.* *α.* major, magis flavescens: vitta elytrorum suturali repanda fusca.

O *Var.* *β.* minor, obscurior: elytris pallidioribus, maculis obsoletis interstitiorum oblongis fuscis; O *Cic.* 6 *notatæ* sat similis; femoribus autem immaculatis mox dignota.

38. C. *7-notata* flava, punctis verticis 4, rosri 1 scutellique 2 majoribus nigris; elytris aureo-hyalinis, apice infuscatis; pedibus immaculatis.

Act. Holm. cit. 35.

Mas & *Fem.* In Salicetis Kinnekulle, in silva Esperöd rarissime capta. Longit. 1 ½ lin. Conspeciebus proximis parum brevior & obtusior. Tota flava, exceptis punctis capitis scutellique ut & abdominis dorso nigris. Alæ metallice nitentes. Pedes immaculati.

Not. Punctum rostri nigrum interdum deest, nec nisi puncta 2 frontis interdum adsunt; sed puncta scutelli majora sub integumento thoracis pellucido semper conspiciuntur. Antennæ non ita elongatæ ut in *Cic. 4-notata*, a qua præterea discrepat; punctis scutelli; & a *Cic. 4-punctata*: tibiis impunctatis.

39. C. *Ulmi* supra virescens, punctis frontis 2-4-nigris; apice elytrorum aurato-fusco-maculato.

Act. Holm. cit. p. 38. Linn. Fn. Sv. 900. De Geer Ins. 189. 8. tab. 12. fig. 12-19, Fabr. Ent. syst. 4. 45. 81. Rhyng. 78. 81.

Mas & *Fem.* colore similes. In fruticibus & in Urtica dioica, mense Aug. & Sept. sat frequens. Longit. 2 lin. — Supra virescens (in exsiccatis flavescens) subtus nigricans. Puncta frontis 2 (vel 4 nigra interdum minutissima & vix manifesta). Scutellum l. flavum l. nigricans. Abdomen atrum, incisuris virentibus; in juniore pallidum. Elytra hyalina, apice (sæpe obsolete) fusco-maculata, versus Solem pulchre aureo nitentia. Pedes immaculati.

40. *C. aurata* supra flava, capitis thoracisque punctis 2 nigris; elytris vitta longitudinali fusca utrinque dentata: apice fusco-auratis.

Cic. aurata elytris fulvo pictis: maculis 4 nigris; postice auratis. Linn. Fn. 899. Act. Holm. cit. p. 39. Fabr. Ent. syst. 4. 45. 80. Rhyng. 78. 80. (*Cic. nigro-punctata* Schranck Ins. Austr. 499?).

Mas & *Fem.* similes. Habitatio præcedentis. Sat frequens. Statura *Cic. flavescentis.* Longit. fere 2 lin. — Caput flavum: punctis in apice 2 nigris rotundis. Rostrum flavum immaculatum. Thorax l. nigricans l. flavus sæpius bipunctatus: punctis distantibus nigris. Apex scutelli flavus. Elytra hyalino-flava, aureo-nitentia: puncto rotundato prope medium suturæ & striga longitudinali bidentata fuscis. (Hi dentes l. maculæ marginem exteriorem spectant). Abdomen nigricans. Pectus & pedes flava. — Variat l. obsolete l. saturate picta. Forsitan hæc *Cic. picta* Fabr. Ent. syst. 4. 42. 67?

41. *C. Urticæ* supra flava, capitis thoracisque punctis 4 nigris; elytris vitta punctisque 3 fuscis.

Cic. Urticæ. Fabr. Rhyng. 77. 76. Act. Holm. cit. p. 40.

Mas & *Fem.* colore similes. In Urtica dioica frequentissima. Longit. 1 ¾ lin. — Caput flavum: modo punctis 4 nigris & rostro flavo, modo punctis 2 rotundis & rostro nigris. Thorax flavescens, mox punctis 2. 2 nigris, quorum anteriora sub margine capitis sunt sita; mox punctis confluentibus infuscatus. Scutellum apice flavum: punctis 2 baseos nigris. Elytra pallida, vitta repanda obsoletiori & maculis 3 costalibus nigris (sæpe obsoletis) notata. Pe-

des plerumque flavi. — *Cic. auratæ* valde similis præter numerum punctorum capitis thoracisque inæqualem.

42. *C.* 10 *punctata* pallida punctis frontis 2, thoracis 6 scutellique 2 nigris; elytris dilutioribus leviter fusco-maculatis.

Act. Holm. cit. p. 41.

Mas & Fem. e Vestrogothia a D. GYLLENHAL nobiscum communicata. In Scania nondum capta. Statura *Cic. punctatæ.* Color in exsiccatis pallidus. Puncta frontis 2 rotunda, thoracis 2 lateralia, 2 antica distinctiora & 2 sæpe obsoleta sub oculis, nigra. Scutellum antice bipunctatum. Thorax autem & scutellum in mare magis quam in femina, obscura & fere testaceo-nigra. Elytra pallida nitida, maculis variis obsoletis apiceque aurato-notata. Corpus atrum. Pedes pallidi.

Not. *C. Urticæ* valde similis, at pallidior & fere robustior, punctisque distinctioribus notata. Thoracis discus in *Cic.* 10 *punctata* immaculatus, nec ut in *C. Urticæ* punctatus; puncta enim in margine thoracis antico sita sunt. Præterea elytra obseletius maculata.

43. *C.* 6 *punctata* flavo-albicans, punctis frontis 2 thoracisque 4, scutelli uullis, nigris; elytris infuscatis, subfasciatis.

Mas & Fem. in silva Esperöd mense Aug. rarissime capta. Statura omnino *C.* 10 *punctatæ* vix tamen ejus varietas nuper exclusa. Etenim differt: & dispositione punctorum dissimili & scutello immaculato. Puncta 2 minutissima in summo frontis apice nigra, & 4 in Disco thoracis minuta, e quibus duo anteriora sub capitis medio sunt sita, & poste-

riora juxta latera magis distantia. Elytra valde pellucida, maculis aliquot sparsis, parum conspicuis, quæ tres fascias fere formant, infuscata. Corpus & pedes pallida. Ungues nigri.

44. C. *tenella* flavescens, capitis punctis 3, scutelli 2 nigris; elytris virentibus: strigis 2 longitudinalibus nigris.

Act. Holm. cit. p. 43.

Mas & *Fem.* colore similes. In Urtica dioica mense Sept. haud frequens. In pascuo autem Nyvång Esperöd semel copiose lecta. Longit. 1 ¾ lin. — Caput flavum, punctis 3 nigris rotundis notatum. Thorax obscure flavescens. Scutellum flavum antice nigro-bipunctatum. Elytra hyalina: strigis duabus, altera ad marginem exteriorem, altera in medio elytri, fuscis. Apex versus Solem pulchre auratus. Corpus gracile, mollissimum, fuscum: maculis, inprimis in femina, pedibusque flavis. Alæ metallice nitentes, nigro-nervosæ.

**) *Capite vix nigro-punctato.*

45. C. *virescens* viridis supra immaculata; capitis apice obtusissimo; alis albicantibus.

Act, Holm. 1806. p. 33, (Fabr. Ent. syst. 4. 46. 84. Rhyng. 79. 84?).

Mas & *Fem.* in pratis valde frequens. *Cic.* 4-*punctata* vix minor. Supra virescens nitida, post mortem flavescens. Caput impunctatum. Antennæ longiusculæ. Elytra corpore longiora, exalbida: nervis tenuibus viridibus. Abdomen supra atrum, subtus sæpe virescens. Tibiæ nigro-punctatæ.

Not. Differt a *Cic. prasina:* magnitudine minori,

capite rotundato (non angulato), colore corporis dilutiori &c.

46. *C. smaragdula* saturate viridissima, immaculata, capite scutelloque pallidioribus: elytris hyalinis aureo-nitidissimis.

Act. Holm. cit. p. 37.

Mas & *Fem.* colore similes. In Alnetis Vestrogothiæ sat frequens; D. GYLLENHAL; in fruticibus Gyllebo Scaniæ raro nobis obvia. Longit. 2½ lin. — *Cic. flavescente* longior & robustior, at *Cic. virescente* angustior. Tota saturate viridis unicolor. Post mortem autem caput inprimis & scutellum sæpius pallescunt. Elytra viridi-aurata, apice aureo-valde nitentia. Pedes virides.

47. *C. viridula* læte viridis, capite thoraceque obsolete albo-pictis; alis albicantibus.

Act. Holm. cit. 37.

Mas & *Fem.* colore similes. Juxta agros Esperöd, ad radices graminum mense Aug. & Sept. plerumque copiose lecta. Inter minimas Cicadas numeranda. *C. flavescente* fere duplo brevior. Oculi fusci. Caput & thorax pulchre viridia, in vivis: punctis strigisque albis obsoletioribus picta. Abdomen & pedes læte viridia. Longit. 1¼ lin. & infra. — Pictura capitis thoracisque post mortem evanescit.

48. *C. flavescens* flava angustata, nitidissima immaculata; alis albicantibus.

Act. Holm. cit. p. 35. Fabr. Ent. Syst. 4. 46. 85. Rhyng. 79. 85. (*Cic. rosæ* Linn. Fn. 902. De Geer Ins. 3. 193. 9 verisimiliter ejusdem speciei).

Mas & *Fem.* colore similes. In gramine mense Jul. & Aug. frequens. In fruticibus frequentior. Parva & angustata, flavissima. Oculi fusci. Scutellum ad certum luminis situm interdum lutescens. Elytra & alæ corpore longiora. Abdominis dorsum raro nigricans. Pedes flavi. Macula elytrorum lateralis rhombea albicans, pro situ luminis, in plerisque individuis conspici potest. Longit. fere 2 lin.

Not. Color variat pro ætate, vel pallide vel saturate flavus. In quibusdam individuis caput quasi angulatim, at obtusissime, extenditur. Nihilo tamen minus a *Cic. pascuella* & *assimili* facile distingui potest.

49. C. *albo-striella* lutescens, thoracis lineis tribus elytrorumque duabus albis, pedibus pallidis.

Mas & *Fem.* colore similes. In Ostrogothia a D. Zetterstedt inventa. Statura *Cic. variatæ.* Longit. 2 lin. — Caput immaculatum. Thorax utrinque striga laterali & media dorsali, quæ scutellum transit, alba pulchre picta. Elytra pellucida lutescentia: striis duabus albis magisque pellucidis a basi fere ad apicem ductis. Abdomen supra nigricans, subtus pallidum. Pedes in exsiccatis albidi.

50. C. *lineatella* flava, elytris aureo-hyalinis: vitta longitudinali purpureo-fusca.

Act. Holm. cit. p. 36.

Mas & *Fem.* In Vestrogothia; D. Gyllenhal. In Alnetis Gyllebo Scaniæ rarior nobis obvia. Habitus *Cic. flavescentis*, ea parum longior. Corpus angustatum & gracile, fere totum flavissimum; modo thorax sæpe infuscatus & scutellum purpureo-fuscum; vitta quoque elytrorum

e basi ad suturam prope apicem ducta purpureo-fusca. Apex inprimis pulchre auratus. Alæ albicantes.

51. C. *pulchella* flava, elytris aureo-luteis: macula laterali nivea, lituris punctoque juxta apicem nigris.

Act. Holm. cit. p. 36.

Mas & *Fem.* in Vestrogothia; D Gyllenhal. In Alnetis Gyllebo Scaniæ mense Jul. copiosissima, captu difficillima. Statura & magnitudo *Cic. variatæ.* Flava s. (nuper exclusa) alba. Elytra l. pallida l. aureo-lutea: macula oblonga laterali albissima; pone hanc l. macula oblonga nigra l. sæpius hujus tantum peripheria, una cum aliquot aliis lituris obsoletis punctoque apicis rotundo nigris. Abdomen dorso nigrum s. puncto nigro notatum, subtus flavissimum. Pedes pallidi.

Var. α. *Mas* & *Fem.* elytris pallidis: macula laterali nigra deficiente, hujus autem peripheria superstite.

Var. β. *Fem.* elytris aureo-testaceis: macula & nivea & nigra, integris.

Not. A *C. Ulmi:* pictura elytrorum diversa, ut & capite neutiquam punctato satis differt.

Var. β. pulchre picta, in Uplandia olim capta, in Scania (ubi Var. α. frequentissima) non nobis obvia.

52. C. *punctata* opaca albo-virescens: elytris in mare sparsim nigro-punctatis, in femina sæpe immaculatis.

Cic. punctata Thunb. Act. Ups. 4. 21. 36. Act. Holm. cit. p. 38.

Mas & *Fem.* in gramine passim & in fruticibus Vestrogothiæ & Scaniæ mense Aug. & Sept. sat frequens. Magnitudo *C. flavescentis.* Supra albo-virescens subopaca; in diversis individuis varie punctata, capite tamen impunctato. Abdomen atrum: incisuris & ano flavis. Pedes pallidi. Alæ albidæ. *Mas* capite, thorace & scutello l. immaculatis l. leviter infuscatis, elytrisque sparsim (interdum obsolete) nigro-punctatis. *Fem.* l. corpore supra toto vix maculato, l. elytris parum nigro punctatis.

Not. Opacitas coloris viridis punctis deficientibus, hanc speciem a reliquis distinguere videtur.

53. *C. vittata* flava: vitta dorsali fusca repando-dentata.

Cic. vittata Linn. Fn. 893, Act. Holm. cit. p. 39.

Mas & *Fem.* colore similes. In gramine & supra folia fruticum mense Aug. passim frequens. *C. flavescente* minor. Corpus modo flavum modo fuscum: fronte, pectore pedibusque semper flavis. Vitta dorsalis, per verticem, thoracem, scutellum suturamque elytrorum latius decurrens, nigra l. fusca. Macula infra scutellum flava, rotunda, in hac vitta plerumque adest.

Not. Magnitudo & color variant. Individua nuper exclusa pro more in hoc Genere solito, semper pallidiora & molliora. Caput antice rotundatum nec angulo acuto præditum hanc speciem a *Cic. undata* antea descripta (quam nomine *Cic. vittatæ* insignivit D. Fabricius) præter magnitudinem multo minorem mox distinguit.

54. *C. Quercus* flavo-albicans: maculis elytrorum in disco sanguineis, in lateribus et apice fuscis.

Fabr. Ent. syst. 4. 47. 88, Rhyng. 79. 89. Act. Holm. cit. p. 42.

Mas & *Fem.* colore similes. Supra folia fruticum, inprimis in *Carpino Betul.* horti Esperöd mense Jul. & Aug. frequenter hospitans. Corpus minutum pallide flavescens, scutello maculis binis luteis obsoletis notato. Elytra albida maculis disci 8 vel 10 sanguineis, lunulisque lateralibus brunneis (media gemina) & apice fusco-maculata. Alæ albidæ. Longit. 1 $\frac{1}{4}$ lin.

55. *C. Tiliæ* flavescens, vitta elytrorum longitudinali media dilatata sanguinea.

Cic. Tiliæ Geoffr. Ins. 1. 426. 24. Act. Holm. cit. 42.

Mas & *Fem.* In fruticibus Tiliæ europ. & Rosæ caninæ primo vere nondum foliatis, Esperöd, frequentissima, at captu valde difficilis. Longit. 1 $\frac{1}{4}$ lin. Oculi & tarsi nigricantes. Caput & thorax l. lutea l. luteo-maculata. Elytra pallida, in medio longitudinaliter sanguineo-vittata, apice versus solem pulchre aurata. Alæ albidæ aureo-nitentes. Cetera flava.

56. *C. blandula* flava elytris pallidis: vitta suturali undata purpurea.

Cicada blandula Rossi Fn. Etr. 2. 217. 1263. Act. Holm. cit. p. 42.

Mas & *Fem.* in Quercu Esperöd, mense Septem. sat frequens. Minuta & gracilissima. Longit 1 $\frac{1}{2}$ lin. Caput & thorax flavescentia l. immaculata, l. vitta in medio longitudinali nigro-ferruginea, s. purpurascente picta. Scutellum sæpius nigricans. Elytra pallida: vitta suturali purpurea, quæ versus apicem

elytri interdum oblique sese extendit. Hæc autem vitta purpurea in certo luminis situ aureo-nitet. Abdomen l. flavum, l. dorso nigrum. Pedes flavi.

Var. junior s. nuper exclusa: elytris totis flavis.

JASSUS *Corpus* oblongum. *Caput* declinatum: vertice transversim angustato-lineari, thoracis latitudine. *Tibiæ* posticæ dense spinulosæ.

Typus hujus Generis, *Cicada lanio* Linn. apud nos inter majores numeranda est species. — Notam hujus Generis a singulari quadam structura totius capitis (non ab aliqua ejus parte) præsertim assumere oportet. Etenim a Genere *Cicada*, cui valde affines sunt *Jassi* species, mox discernitur: capite versus pectus valde declinato & perpendiculari, verticeque transversim angustiori & lineari. Caput autem *Cicadarum* magis porrectum & horizontale: vertice latiori. Præterea statura corporis (in individuis a nobis lustratis) semper oblonga & subcylindrica. — *Thorax (Collare* GERM.) haud aliter atque in quibusdam Cicadis, integumentum, a corpore subjacente quasi liberum & elevatum constituens, transversim interdum fere ovalis, & hyalinus: scutello transversim linea impresso. — *Pedes* simplices: tibiis, inprimis posticis, crebro spinulosis. — *Stemmata* capitis (ocelli) frontalia, nec verticalia.

Nullas igitur in Genere *Jasso* admittendas esse species, quæ *Typo Generis* minime respondeant, facile intelligi potest. — Brevem quoque simulque constantem characterem Generis, (nec a magna notarum congerie labefactam) eligere præstat. Sic situs stemmatum, sic directio nervorum elytrorum in tota Cicadariarum Familia vix quidquam valent. Etenim parvitas plurium individuorum contemplationem harum rerum sine maxima molestia non permittit,

unde notæ (haud aliter atque in partibus oris laceratis) potius fictiles, quam certæ & indubitatæ proponi queant. In elytris autem magis coriaceis & opacis, quam membranaceis & pellucidis, licet nervis non destitutis, nulli observari possunt nervi. Remomotis igitur speciebus, a *Typo* supra nominato structura recedentibus, quas a Genere *Cicada* Auctorum transferre voluit Cel. GERMAR (l. c. pag. 80 & seqq.) *Jassum* Genus constituere naturale jure meritoque censemus.

Larvæ in gramine versantur, a structura capitis facile discernibiles. *Imagines* in frutetis inprimis hospitantur, more congenerum salientes. *Uterque sexus* colore sæpissime variat.

* *Capite antice in angulum minime prominente.*

1. *J. lanio* viridis, capite, thorace, scutello elytrisque maris subtestaceis sanguineo-irroratis.

Fabr. Rhyng. 86. 4, Act. Holm. 1806. p. 116, *Cicada* Fabr. Ent. syst. 4. 38. 50. Linn. Fn. Sv. 892, Panz Fn. 32. tab. 10 Fem., *Jassus brunneus* Fabr. Rhyng. 87. 10. Mas.

Mas & *Fem.* Rarior passim. In silva Esperöd mense Aug. — *Mas* obscure testaceus: fronte & scutello fusciori. *Fem.* viridis; excipe caput, thoracem & scutellum subtestacea sanguineo-punctata. Tibiæ anteriores rufescunt. Elytra opaco-viridia, deflexa, subcoriacea: nervis elevatis. Abdomen in exsiccatis pallescit: ano vix piloso. Longit. 3½ lin.

Not. *Mas* femina semper obscurior & parum minor, supra subtestaceus s. brunnescens; *Fem.* elytris viridibus semper picta. Pictura autem sanguineo-irrorata, in exsiccatis penitus perit.

2. *J. lituratus* pallidus elytris hyalinis: nervis validis fusco-brunneis.

Act. Holm. cit. 117.

Mas & *Fem.* colore similes. In Salicetis prædii Höberg Vestrog. D. Gyllenhal; in prædio Gyllebo Scaniæ; minus frequens. *J. lanio* vix minor, at angustior. Caput pallidum: vertice æquali fusco-maculato, punctis 2 minutis nigris. Thorax maculatus, antice varie nigro-punctatus. Scutellum sub thorace nigrum, maculis 3 eminentibus; intermedia continuata format prope apicem lituram circularem, supra quam (in medio scutelli) puncta 2 minora exstant. Elytra convolventia, pellucida, parum nitentia, nervis brunneis validis instructa. Alæ metallice nitentes, nigro-nervosæ. Abdomen supra nigrum subtus pallidum: pedibus concoloribus.

Not. Differt a *J. populi* inprimis: nervis elytrorum crassioribus, fuscioribus, ut & pictura scutelli diversa.

3. *J. populi* flavo-varians, elytris pellucidis nitidissimis; nervis tenuibus pallidis; antennis maris clavatis.

Act. Holm. cit. p. 118.

Mas & *Fem.* in fruticibus passim mense Aug. — Statura præcedentis: color variabilis plerumque flavo-virescens & brunnescens. Oculi fusci. Antennæ tenuissimæ; Maris clava nigra semper instructæ, feminæ simplices. Frons flava. Puncta verticis interdum 2 minuta nigra. Scutellum flavum: maculis 2 anticis nigris. Elytra pellucida nitentia, colore variantia, flavo- l. rufescentia l. brunnescentia; in junioribus autem, uti & corpus totum flavescentia. Alæ metallice pulchre nitentes. Abdomen supra nigrum subtus flavum. Pedes flavi.

Var α. *Mas* thorace fusco, scutello antice nigro- bi-maculato apice flavo; elytris fusco-auratis: margine antico flavescente & macula communi dorsali albida obsoleta. *Fem.* colore mari proxima, fronte subtus, pectore pedibusque viridibus, abdominis dorso nigro, ventre postice subrufescente; elytris brunnescentibus nitidis, margine antico viridibus: macula communi dorsali albida minuta.

Cic. Populi. Linn. Fn. Sv. 890 (vera), *Cic. fulgida* Fabr. Ent. syst. 4. 44. 73, *Jassus* Syst. Rhyng. 87. 13.

Var. β. *Mas* thorace fusco, scutello 3-maculato, apice flavo; elytris fusco-auratis: macula communi dorsali fasciaque albida vix manifesta, apice fusciori. *Fem.* colore huic mari proxima: elytris l. pallidis l. obscurioribus. Puncta duo minuta frontis remota fusca l. adsunt l. desunt. Scutellum præter puncta sub thorace, duo habet puncta impressa obsoletissima.

Cic. Coryli. Linn. Fn. Sv. 901. Mas hujus.

Var. γ. *Mas* & *Fem.* junior s. nuper exclusa pallida: clava maris antennarum abdominisque dorso nigris.

Not. Nullum est dubium, quin hæ varietates unam eamdemque speciem genuinam constituant. Cohabitant simul. Individua quoque mascula clava antennarum semper instruuntur. Ejusmodi autem clava Mares ceterarum specierum omnino sunt destituti. Color viventium virescens post mortem in flavum s. fuscum mutatur. A *Jasso liturato* apperte differt: nervis elytrorum tenuioribus pallidisque &c.

4. *J. Gyllenhalii* flavo-nigroque variegatus, elytrorum interstitiis interrupte nigro-striatis.

Mas & *Fem.* ad Prædium Sjötorp Vestrog. in Scirpo palustri inventus a Nobil. D. GYLLENHAL. — Species pulchre picta nitida, minoribus *Jas. Populi* individuis vix major. Caput transversum thoracis latitudine, hujus omnino generis, lineolis & punctis aliquot in fronte notatum. Nigredo præterea capitis duo format puncta majora, quæ totum fere verticem occupant. Thorax niger: lineolis 3 una serie transversim dispositis & margine postico tenuiter flavis. Scutellum triangulare thoracis longitudine nigrum, apice flavum. Elytrorum nervi flavi; interstitia nigra flavo-interrupta; hinc elytra striis flavis & nigris picta videntur; ipse autem apex elytrorum magis flavescit. Pectus flavo-nigroque variegatum. Pedes nigro lineati: tibiis posticis imprimis nigro-punctatis, distinctius spinulosis tarsisque nigro-annulatis. Alæ æneo-nigricantes.

Var. β. thoracis linea transversa latiori integra, (non interrupta). In hac varietate thorax, antice niger, fascia pone medium, notatur.

** *Capite antice in angulum prominulo.*

5. *J. fruticola* discolor capite thoraceque antice angulum formantibus.

Act. Holm. cit. 120.

Mas & *Fem.* In fruticibus, præsertim in Carpino betul. & Alnetis valde frequens, magnitudine & colore valde varians. Pleræque tamen varietates, haud aliter atque in *Cerc spumaria*, femineæ sunt. Elytra pellucida fusco- s. pallido- valide nervosa. Alæ albidæ metallice parum nitentes. Pedes plerumque pallidi. Longit. 2½ s. 2 lin.

Var. α. *Mas* capite flavo: l. punctis vel lineis 2 frontalibus transversis rufis s. fuscis; elytris pellucidis fere immaculatis distincte nigro-nervosis.

Cic. & *Jassus diadema* Fabr. Ent. syst. 4. 44. 74, Rhyng. 87. 14 verisimiliter hujus est speciei.

Var. β. Mas elytrorum nervis pallidioribus. — Pictura capitis thoracisque sæpe varians aut virescens aut brunnescens: punctis aliquot brunneis s. nigris, quorum 2 in fronte, 2 in vertice, quæ interdum confluunt, (& 2 thoracis pone oculos, quæ frequentiora sunt). Interdum quoque adest vitta scutelli media, lata, flava: punctis 2 brunneis. Pictura scutelli præterea valde variat.

Var. α. Fem. flava punctis 2 frontalibus rufis; elytris testaceo-pellucidis l. pallide l. fusco-nervosis interdum magis minusve infuscatis.

Jassus bipustulatus Fabr. Rhyng. 88. 18. *Cicada* Ent. syst. 4. 45. 79.

Var. β. Fem. frequentior; tota testacea maculis frontalibus l. rufis l. nullis.

Var. γ. Fem. capite, thorace scutelloque obscure testaceis; elytris basi intus flavis s. albis, in disco infuscatis & sæpe suturate maculatis.

Jassus triangularis Fabr. Rhyng. 88. 19. *Cicada* Ent. syst. 4. 46. 82.

Var. δ. Fem. sat frequens; capite thorace scutelloque flavis; elytris basi intus flavis, in disco l. leviter infuscatis, l. saturate maculatis.

Cic. & *Jassus flavicollis.* Linn. & Fabr. forte.

Var. ε. Fem. capite, thorace, scutello elytrisque saturate flavis: his apice hyalinis.

Jassus Rosæ Fabr. Rhyng. 87. 16. *Cicada* Ent. syst. 4. 45. 77. (non Linn.).

Not. In hac varietate nervi non nisi in apice elytrorum conspiciuntur. Puncta frontalia brunnea

& præterea puncta duo minuta in disco scutelli interdum adsunt. In Betuletis pratis Gyllebo rarior obvia, una cum ceteris varietatibus, in copula cum *Var. α. Mascula* deprehensa.

O *Var. ζ. Fem.* supra saturate brunneo-nigricans, antice interdum dilutior.

Varietas hæc plane singularis & fere tota nigra, elytris vix pellucidis, e Vestrogothia a D. Gyllenhal, e Finlandia a D. Sahlberg nobiscum benevole communicata, semper feminea?

Hæ varietates femineæ sæpissime inter se conveniunt: thorace & scutello non pictis, punctisque frontalibus sæpe magis obsoletis, quam in individuis masculis. In variet. a, scutellum vitta, (ut in mare), media lata, licet obsoletiori, plerumque notatur: punctis, 2 minutis fuscis. Hæc autem vitta reliquis varietatibus vel deest vel obsolete adest. Puncta tamen 2 minuta fere semper adsunt.

Nullum est dubium, quin hæ varietates & masculæ & femineæ unam eandemque constituant speciem genuinam. Etenim simillima earum est capitis structura; simul cohabitant, easque omnes (præter variet ζ in copula multoties observavimus.

Multum sane interest, naturam vivam scrutari, nec pro specie rite determinanda & stabilienda sufficit unum alterumve individuum, in theca insectorum exsiccatum, corrugatum, & forsan diu adservatum, amisso colore vivo & naturali, differentia quoque sexuali aut prætermissa aut incognita. Inde igitur orta est magna specierum multitudo, nullius fere pretii æstimanda.

Ulopa *Caput* horizontaliter exsertum, inæquale, margine retusum. *Tibiæ* submuticæ.

Sunt duæ species, quæ respectu structuræ thoracis scutellique ad Genus *Cicadam* prope accedunt, nec primo intuitu ab *Isso* longe recedere videntur;

medium inter hæc genera quasi tenentes. Tamen differunt. Caput enim *Cicadæ* æquale, margine integrum, in speciebus nostris *Ulopæ* inæquale, foveolis scilicet vel emarginatura in apice frontis retusum. — In altera specie *caput* antice foveolatum, margine sursum elevato; in altera planiusculum, dilatatum, antice attenuatum: margine tamen antico emarginato, inæquali. *Corpus* parvum. *Elytra* fornicata, subcoriacea, elevato-nervosa. *Pedes* validi: tibiis vel levissime & vix conspicue spinulosis, vel spina unica minutissima instructis. Victus congenerum. *Larvæ* & *Imagines* in locis sterilibus, in gramine humili inprimis versantur.

1. *U. Scanica* capite inæquali, fronte marginata, ante oculos excavata elytrorumque sutura fusco-punctatis.

Cicada Scanica Act. Holm. 1806. pag. 113.

Mas & *Fem.* colore dissimiles. In arvis Scaniæ frequens, in Esperöd mense Augusto longe frequentissima. — Longit. 1 ½ lin. Pulice paullo major. Antennæ sub oculis insertæ, extus capillares. Oculi parvi exserti. Caput in angulum antice parum prominet, utrinque in margine frontis oblonge excavatum, subtus retusum s. foveolatum. Ipse quoque margo anticus sursum elevatus, (sæpius) fusco-maculatus. Thorax capite duplo longior, reniformis, subtilissime punctulatus, capitis latitudine. Scutellum minutum, triangulare. Elytra deflexa, antice subpunctulata, postice magis pellucida: nervis elevatis fuscioribus. In ipsa sutura adsunt maculæ s. lineolæ minutæ 2-3 nigræ, quæ, uti & puncta capitis in mortuis sæpe pereunt. Alæ completæ. Corpus totum subtus & supra flavo-griseum: abdomine interdum fusciori, pedibusque concoloribus. Spinulæ tibiarum minutissimæ, nec nisi oculo armato in posticis parum conspicuæ. Anus non pilosus.

Mas semper paullo minor, supra griseus, thorace in aliis nigro, albo-marginato; in aliis pallido: maculis & lineola disci nigris. Scutellum nigrum, punctis interdum 2 albis minutis notatum. Abdomen & pectus nigricantia, s. fusca. Pedes pallidi.

Femina flavo-grisea, exceptis maculis frontis (in plerisque) scutelli (in quibusdam) & suturæ nigris.

2. *C. obtecta*, griseo-rufescens, impresso-punctata; capite planiusculo: fronte attenuata, subtus gibba; elytris fornicatis, albo-bifasciatis.

Ulopa Nová Hemipt. meth. A. 1814 edit. p. 19. GERMAR Mag. 4 pag. 55. *Cicada obtecta* Act. Holm. 1806 p. 114. *Cercop. Ericæ* Ahr. Fn. Ins. 3. 24.

Mas & Fem. In Ericetis Vestrog. tempore flovescentiæ haud infrequens; D. GYLLENHAL. In arvo Esperöd *Korum* dicto una cum *U. scanica* rarior capta. Magnitudo præcedentis. Antennæ extus tenuissimæ. Oculi exserti, fusci. Caput magnum, depressum, planiusculum, thoracis fere longitudine & latitudine; antice attenuatum subrotundatum, in medio paullo emarginatum; superficie inæquali, foveis disci duabus; subtus globose gibbum. Thorax griseus, distincte impresso-punctatus, capite vix angustior, antice rotundatus, postice truncatus; fovea utrinque remotiori antice impressus. Scutellum parvum, 3-angulare. Elytra valde fornicata, impresso-punctata, subcoriacea, rufescentia: fasciis 2 albis obsoletis, nervis elevatis fuscioribus. Alæ raro completæ, vix ullæ. Corpus subtus rufescens s. fuscum, supra in mare magis pallidum. Pedes concolores, submutici, tibiis tantum posticis spinulis 2 in latere, vix conspicuis, armatis.

Not. Non est infitiandum, quin ad Genera diversa referri queant hæ species; etenim *U. obtectæ* caput magis dilatatum & attenuatum aliam structu-

ram certe prodere videtur. Nihilominus nota Generis nuper allata, & a margine capitis antico inæquali & a spinulis pedum vix ullis desumta, constans est, & Genus *Ulopam* a ceteris Cicadariis satis distinguit. Satius quoque duximus, hasce species in unico quam in diversis generibus collocare, ne supra modum & in detrimentum Scientiæ augeantur notæ & nomina Generica, sæpe absona & inepta.

FULGORIDES.

Caput carinatum vel in cornu productum: rostro sub collo inflexo.
Antennæ parum articulatæ breviusculæ.
Thorax limbo collari antice auctus.
Hemelytra per suturam rectam conniventia.
Tarsi tri-articulati.

Species hujus Familiæ, cum *Cicadariis*, (& in methodo nostra Hemipterorum cum *Tettigonidibus*) olim conjunctæ, in regionibus terræ calidioribus vitam inprimis degunt; & in his quædam Hemipterorum primæ magnitudinis animalcula. Pauciores, quæ in Septentrione versantur, minutæ sunt species. Eas autem in propriam & a *Cicadariis*, specierum antea ditissimis, distinctam Familiam introducere & structura capitis, thoracis, hemelytrorumque diversa inprimis suadet. Sic *Fulgorides* capite perpendiculari & fronte bi-sulcata s. tri-carinata instructæ sunt. Thorax plerumque limbo angustiori, sæpius membranaceo, antice augetur. Armatura tibiarum e spinulis paucioribus constat.

Victus in gramine, more *Cicadariarum*. *Volatus* segnis; motus autem saltatorius velox.

Nomen Familiæ *Fulgorellæ* Latr. & Germar, (diminutivum) nobis non placet.

Synopsis Generum.

Issus Caput carinatum. Elytra coriacea.
Flata Caput carinatum: antennis brevissimis. Elytra dilatata, membranacea.
Delphax Caput carinatum: antennis elongatis, extensis. Elytra membranacea.

Not. Huic Familiæ adsociantur *Fulgora* & reliqua genera exotica, capite vel carinato vel in cornu producto instructa.

Issus *Caput* supra planum marginatum. *Elytra* coriacea, elevato-nervosa. *Pedes* validi: tibiis posticis 1-2-spinosis.

Statura l. gibbosa l. sublinearis. *Antennæ* breves, crassæ, ad latera extensæ, apice capillares. *Frons* dilatata, utroque in margine & in medio carinata. *Caput* supra planum, carinatum, (in altera specie thorace uon latius & in angulum paullo porrectum). *Rostrum* dimidii corporis longitudine. *Oculi* rotundi, prominuli. (*Ocelli* nulli, teste D. Germar). *Thorax* & *scutellum* triangularia in unum quasi redacta. Elytra longitudinaliter elevato-nervosa: interstitiis reticulatis. *Pedes* sub-mutici, vix nisi in tibiis posticis spinulis 1-2 minutis armati. *Alæ* raro completæ.

1. *I. coleoptratus* elytris gibbosis griseis: macula media fusciori.

Fabr. Rhyng. 99. 1, Act. Holm. 1806 p. 122, *Cercopis* Ent. syst. 4. 53. 26, Panz. Fn. 2 t. 11.

Alterum modo sexum in Scania rarissime invenimus, *Cercope spumaria* non multo longiorem, at multo latiorem. Caput parvum, subtus & supra carinatum. Adest linea media capitis thoracisque elevata. Limbus thoracis anticus sublinearis. Thorax autem locum scutelli tenere videtur. Elytra inæqualia, reticulato-nervosa, ante medium costæ in angulum obtusum quasi extensa, ante apicem (in ipsa sutura) gibbosa, ibique macula fusciori notata, quæ in exsiccatis plerumque evanescit. Alæ hyalinæ. Tibiæ posticæ extus bi-spinulosæ.

Not. Differentia sexus hujus speciei a nullo Auctore hactenus commemorata. Uterque sexus colore diverso verisimiliter gaudet.

2. *I. dissimilis* elytris linearibus pallidis: margine exteriori in mare nigris; lineola media capitis thoracisque sanguinea.

Act. Holm. 1806 p. 123.

Mas & *Fem.* colore dissimiles, in gramine paludum turfos. Vestrog. passim; D. Gyllenhal. — Longit. 2 lin. & ultra, præcedente tamen multo minor. Caput supra planum marginatum & antice angulatum, subtus 3-carinatum & bi-sulcatum. Oculi rotundi prominuli. Antennæ breves, crassæ, ad latera extensæ: seta longiori. Limbus anticus linearis & thorax plani, marginati. A fronte per thoracem & scutellum ducitur lineola (carinata?) sanguinea. Elytra capitis latitudine, subcoriacea, nervis 5 elevatis instructa, apice reticulato-nervosa. Pedes validi: tibiis posticis 2-spinulosis. Individua alata rarissime occurrunt.

Mas corpore elytrorumque costa nigris.

Fem. corpore l. pallido l. obscuro, elytris pallidis: sutura & interstitiis sanguineo-irroratis. Hæc autem pictura sanguinea in exsiccatis sæpe perit.

FLATA *Caput* parvum: fronte carinata. *Antennæ* breves. *Elytra* ampla, alæformia.

Species nostra *Cicada nervosa* Linn., typi instar hujus generis, (a *Fulgora candelaria* Linn., qua capitis figuram longe diversa) a speciebus nostris *Delphacis*, nisi antennis brevioribus elytrisque amplioribus vix differt, eamque ob caussam in Actis Holm. 1806 hanc speciem *Delphaci* inseruimus. Plures tamen, teste D. GERMAR l. c. determinatæ sunt species exoticæ, capite brevi & obtusiusculo instructæ. Sic exstat genus specierum haud ita pauper! Ceterum pro Genere ad methodum nostram stabiliendo species omnes detectas, (quæ tamen in collectione nostra desiderantur) inter se simul & semel esse comparandas, facile intelligitur.

Differentia sexus mox detegitur: corniculis 2 *maris* brevibus, sæpe pallidis; vagina *feminæ* ensiformi elongata. Femina præterea lanam supra anum albam gerit. Mares lanatos nunquam observavimus. *Metamorphosis* ignota. *Imagines* in fruticibus hospitantur.

1. *F. nervosa* elytris exalbidis hyalinis, fusco-maculatis fasciatisque: nervis albis nigro-punctatis.

Flata nervosa Fabr. Rhyng. 54. 47, Germar l. c. 3. 191, *Cicada nervosa* Linn. Fn. 882, De Geer Ins. 3. 182. 4. t. 12 fig. 1, 2, vera, *Delphax* Act. Holm. 1806 p. 124.

Mas & *Fem*. Habitat passim minus frequens; in fruticibus silvæ Esperöd mense Aug. sat copiose lecta. Longit. 3 ½ — 4-lin. Species colore & pictura varians. Mas semper paullo minor. Frons plerumque atra, 3-carinata; carina scilicet media & utrinque laterali. Caput parvum, breve: vertice & limbo collari thoracem antice breviter tegente mox luteis, mox pallidis. Thorax niger, longitudinaliter tricarinatus: scutello coadunato. Elytra alæformia, hyalina, fusco-maculata & fasciata: nervis nigro-punctatis. Puncta autem hæc nigra paullo elevata, pilo unico in singulo puncto instruuntur. Corpus sæpe totum nigricans: ano feminæ albo-lanato. Pedes pallide-flavi: tibiis solum posticis breviter 1-2-spinulosis.

Var. α. *Mas* & *Fem.* in copula: elytrorum fascia ante medium unica, punctoque ante apicem costali fuscioribus.

Var. β. *Fem.* elytrorum maculis sparsis (interdum obsoletis) fasciaque ante apicem latiori & saturatiori, fuscis.

Var. γ. *Fem.* elytris vix rudimento fasciarum, costa fusco-punctata, punctoque ordinario fusciori.

Cicada Cynosbatis Fabr. Ent. syst. 4. 41. 61.

Not. Puncta elytrorum costalia in utroque sexu evidentiora, maculæ autem sparsæ obsoletiores. Pili elytrorum primo contactu facile divelluntur.

2. *F. cunicularia* elytris fusco-pellucidis, maculis obsoletis fuscis adspersis, non fasciatis.

F. cunicularia. Fabr. Rhyng., Germar Mag. 3. p. 195, *Cicada* Linn. (& *Cic. leporina* Linn. Fn. 895. var.?), *Cercopis Dionysii* Panz. 4. 34. 24 var.? *Delphax cynosbatis* Act. Holm, 1806 p. 126.

Mas & *Fem.* in Vestrogothia; D. Gyllenhal; in Scania nondum nobis obvia; mera tamen *F. nervosæ* varietas minor nobis potissimum habetur. Structura enim partium omnino simillima, nec colore nisi elytris obscurioribus, fusco-pellucidis, non fasciatis (saltim in nostris individuis) differre videtur. Elytra maris plerumque dilutiora quam feminæ, an semper? Corpus præterea nigrescit: ano feminæ lanato. Thorax, lineæ capitis elevatæ & tibiæ interdum flavescunt.

Var. β. Fem. obscurior: elytris brunnescentibus.

Not. Punctum costale obscurum, vel ejus rudimentum, semper adest, similiter atque in *F. nervosa.*

Delphax *Antennæ* longiusculæ, ad latera extensæ. *Elytra* deflexa.

Hocce Genus, propter nimiam adfinitatem, a Genere præcedente vix diversum. *Antennæ* autem longius extensæ, & elytra angustiora, deflexa, nervis paucioribus, non reticulatis, instructa. Excretionem lanatam feminarum nondum observavimus. *Pedes* simplices. *Tibiæ* posticæ 1-spinosæ. *Larvæ* & *Imagines* in gramine versantur. Larvæ adultiores, inprimis femineæ, imagine valde crassiores & latiores, apteræ, elytra habent magis opaca, subcoriacea, abdomine vel breviora, vel ejus longitudine, in feminis plerumque pallida, concolora.

1. *D. crassicornis* fusca l. pallida, antennis compressis; elytris maris albis, striga incurvata fusca pictis.

Cicada crassicornis Fabr. Ent. syst. 4. 41. 62. *Delphax* Suppl. 522 Mas hujus speciei. Panz. (*Asi-*

raca clavicornis Latr. & Germar Mag. 3. 205 ejusdem forte generis & speciei?)

Mas & *Fem.* in *Myrica gale* pratorum humid. ad *Sjötorp* Vestrog. sat frequens; D. GYLLENHAL. *F. nervosa* minor, magnitudine *Jassi fruticolæ*, inter nostrates hujus generis maxima. Caput in utroque sexu pallidum: fronte carinis tribus brevibus instructa. Antennæ ad latera extensæ, capite longiores: articulo primo elongato, compresso, lato marginato; secundo cylindrico (vix conico) apice setigero. Thorax scutelliformis & limbus collaris pallidi. Abdomen maris nigricans, feminæ pallescens. Pedes pallidi: femoribus utrisque sexus longitudinaliter sulcatis. — *Mas* alatus, elytris completis, albis: striga dilatata fusca, quæ in medio disci fasciam format, & a margine exteriori in marginem interiorem curvatim descendit apicemque cingit. Striga præterea angustior, ante apicem, alam transit. — *Fem.* aptera: corpore toto & elytris abreviatis haud pictis, pallidis. Structura tamen antennarum, capitis pedumque cum masculo omnino convenit.

Not. Non nisi pauciora lustravimus individua exsiccata. — Picturam elytrorum variationi esse subjectam, facile conjicitur. Sic in descriptione FABR. l. c. *alæ hyalinæ nervis punctatis strigaque postica* fusca notantur. Feminam descriptam haud rite explicatam credere fas est. Abdomen quoque crassius & latius quam in mare, genitalia fert dimidio ventre fere longiora.

2. *D. dispar* elytris cinereo-pellucidis: nervo costali antice pallido postice fusco.

Act. Holm. p. 126.

Mas & *Fem.* in pratis & juxta agros Scaniæ passim, sat frequens. Parva, longit. vix 2 lin. Ca-

put subtus plerumque nigrum: carinis ordinariis albis. Thorax cum limbo collari l. pallidus l. fuscus. Elytra pellucida, magis minusve cinereo-tincta: nervis tenuibus pallidis, nervo autem costali versus apicem semper nigro. Abdomen modo testaceum, modo nigricans, margine, ano pedibusque pallidis.

Var. α. *Mas* & *Fem.* alata, elytris corpore duplo longioribus. *Mas* thoracis limbo vel albidiori, thorace corporeque nigris; vel limbo thoraceque cinereo-testaceis. *Fem.* thorax interdum cinereus antice niger.

Var. β. *Fem.* flavescens: elytris magis hyalinis.

Delphax flavescens Fabr. Rhyng. 84. 7. *Fulgora* Ent. syst. 4. 7. 23.

Var. γ. *Fem.* nigricans: elytris hyalinis; limbo thoracis plerumque albo, pedibus flavescentibus.

Delphax marginata Fabr. Rhyng. 84. 9, *Fulgora* Ent. syst. 4. 7. 25.

Var. aptera elytris subopacis, abdominis longitudine, nervis concoloribus; colorem pro ætate valde varians. *Mas* l. niger: collari aut albissimo aut testaceo, l. obscurus minor: elytris fuliginosis. *Fem.* testaceo-cinerascens elytris concoloribus. Adultior, & in copula cum masculo alato aliquoties inventa.

Not. Cohabitant omnes hæ varietates. Eas pro diversis speciebus habendi nulla est caussa. — Larva hujus speciei adultior, pulchre & varie picta, rudimento elytrorum l. nigro l. nebuloso: apice albissimo.

3. *D. striatella* elytris albo-hyalinis: stria media suturali fusca.

D. striata Act. Holm. cit. p. 129. (Vix autem Fabr. & Germar).

Mas & *Fem.* Habitat in Vestrog.; D. Gyllenhal. In Scania; D. Zetterstedt. — Statura parva præcedentis, an specie distincta? — Corpus l. fuscum l. testaceum: pedibus pallidis. Elytra hyalina: striga parva in margine dorsali media nigricante.

Not. Hanc speciem vivam observare nobis non contigit.

4. *D. pellucida* elytris immaculatis distincte fusco-nervosis.

Act. Holm. cit. 129. 5 (Fabr. Rhyng. 84. 6, *Germar* Mag. 3. 212?).

Mas e Vestrog.; D. Gyllenhal. Statura omnino præcedentis. Corpus nigricans: fronte angustata nigra, pallide carinata; capite & collari pallidis; thorace nigro 3-carinato. Elytra l. hyalina, l. cinereo-tincta; nervis nigrioribus quam in *D. dispari*. Individuum vidimus unicum collari (in margine postico) ciliato vestitum.

Fem. in Scania rarissime. Hujus forte speciei? Elytris cinereo-tinctis; nervis fuscis, oculo bene armato distincte nodosis. Structura & color capitis thoracisque ut in mare.

Not. *D. hemiptera Germar* l. c. 217. 8 pullus adultior s. varietas feminea elytris scilicet nondum rite explicatis, an hujus speciei?

5. *D. guttula* flava: capite antice obtuse angulato, elytris albidis: vitta apicis punctisque 2-frontalibus nigris.

Delphax guttula Germar Mag. 3. p. 216, ○ *D. minuta* Act. Holm. cit. p. 127 (excluso synon. Fabr.?).

Mas & *Fem.* in copula aliquoties capta, in gramine pratorum passim. Præcedentibus minor & angustior. (Longit. 1 ½ lin. & ultra). Ab iis discrepat: structura capitis angulatim paullo porrecta. Caput præterea thorace non angustius, fronte carinata, puncto utrinque in genis nigro notatur. Oculi nigri. A fronte ad apicem scutelli semper adest linea lata flavo-alba; thorax tamen utrinque niger. Elytra albida: striga apicis nigra. Abdomen l. pallidum l. obscurum. Pedes sæpius pallidi. *Larva* a striga capitis thoracisque facile dignota, imagine, pro more solito, latior & crassior, rudimento elytrorum corporeque feminæ semper pallidiore, in gramine sæpe occurrit.

TETTIGONIDES.

Caput rostro sub collo inflexo; fronte gibbosa transversim striata.

Antennæ multi-articulatæ.

Thorax vel limbo collari antico vel segmento transverso limbi locum tenente auctus.

Hemelytra membranacea per suturam rectam conniventia.

Tarsi 2-3-articulati.

Species *Manniferæ* quibus abundant terræ calidiores, a reliquis *Cicadis* De Geerii & forma corporis & victu larvarum s. metamorphosi recedunt, ideoque eas ad *Familiam* propriam jure referunt Latr. & Germar. Notam hujus familiæ a structura capitis thoracisque præsertim sumere lubet. Etenim *frons* in cornu non producta, neque carinata (ut in *Fulgora*) sed gibbosa: gibbositate transversim striata; & *thorax* l. limbo collari l. segmento quodam antico augetur. Thorax præterea in lobos dividitur: scutello coadunato (non libero). Elytra alæformia an semper. Stemmata verticis 3 (in *Cicadariis* & *Fulgoridibus* 2 l. o.) Armatura pedum varia. — *Antennæ* 7 articulatæ test. D. Fabr. Articuli enim basales forsitan tres, crassiores, seta articulata instructi sunt. An semper?

Dicunt Auctores, *Larvas* in terra radices consumere plantarum, *imagines* sonum edere, folia pungentes, unde liquor, mannæ instar, interdum effluit.

Sexus differentia eadem & similis atque in *Fulgoridibus* mox detegitur. Excretio feminarum farinacea s. lanata interdum adest (?).

Not. Ad hanc *Familiam* non nisi unum *Genus* adnumerant auctores recentiores, nomen *Cicadæ* GEOFFR. huic generi attribuentes. Hocce autem nomen genericum ubique cognitum aliisque speciebus valde numerosioribus maxime commune, auctoritate summorum Heroum Entom. D. à LINNÉ (in Fn. Sv.) & D. FABRICII (in syst. Rhyng.) esse retinendum jure meritoque contendimus.

Vix dubitamus, quin Species *Tettigoniæ*, accuratius lustratæ, formam corporis & forsitan vivendi rationem adeo diversam, ostendant, ut in duo, sin plura, Genera abire possint. Aliàs enim cum Familia præcedente (Conf. Nova Methodus Hemipt. dispon. (1814), potius conjungerentur, adjectis scilicet notis, ad regulas artis, characteristicis.

TETTIGONIA.

1. *T. hæmatodes* nigra, thorace immaculato, elytrorum costa dimidiata abdominisque incisuris sanguineis.

Cicada hæmatodes Linn. syst. Nat. 2. 207. 141. Germar Mag. 4. p. 98. *Tettigonia* Fabr. Rhyng. 42. 50. Act. Holm. 1805 p. 236. *T. tibialis* Panz.

Mas & *Fem.* colore similes. In Kinnekulle Vestrogoth. a D. GYLLENHAL & Præpos. BJERKANDER olim rarissime observata. Long. 12 lin. & ultra. Corpus nigrum, parum pilosum. Caput inæquale, ni-

grum, subtus gibbum, transversim striatum. Thorax lobatus niger, segmento antico, limbi collaris locum tenente, thoracemque mentiente, latitudine subæquali, postice truncato, sulcis 3 obliquis ab utroque latere excavatis instructo. Ipse thorax? magnus, inæqualis, convexus, niger: apice, loco scutelli, gibbo decussatim elevato. Elytra abdomine longiora, alæformia: costa nervisque antice luteis, postice nigris. Alæ elytris breviores. Incisuræ abdominis & anus lutea s. sanguinea. Pedes lutei, nigro-maculati. Femora antica incrassata, dentibus 3 validis subtus armata. Tibiæ posticæ pone medium in latere spinulis paucis gaudent.

Not. Descriptio Insecti exsiccati, licet adcuratior, viventi forsitan minus apte competit.

Tettigonia exilis "nigra, capite thorace & scutello aurantiacis, elytris hyalinis nigro-variegatis; alis albis hyalinis" Weber & Mohr *Naturhistorische Reise durch einen Theil Schwedens* pag. 65. tab. 1. fig. 2 Tettigoniæ Generis non est, ad *Chermem* referenda. Individua, eaque plurima, quæ descriptioni & figuræ Insecti citati satis respondeant, a Nob. D. Gyllenhal prope Prædium Höberg Vestrog. & in pascuis Esperöd Scan. in *Rumice acetosella* sæpius a nobis lecta sunt.

SUPPLEMENTUM
CIMICIDUM SVECIÆ.

Quod

Venia Ampl. Facult. Philos. Acad. Lund.

PRÆSIDE

CAROL. FR. FALLÉN,
Hist. Natur. Prof. Reg. et Ord., Reg. Acad. Scient. Holm. Reg. Societ. Scient. et E. E. L. L. Gothob. Societ. Imper. Nat. Curios. Moscovit. ut et Soc. Scrutator. Berol. Membro.

PRO LAUREA

Publicæ disquisitioni subjicit

CAROL. JAC. HOFVERBERG,
Scanus.

In Lyceo Carolino die VII Junii MDCCCXXVI.

LONDINI GOTHORUM,
Ex Officina Berlingiana,
MDCCCXXVI.

SUPPLEMENTUM MONOGRAPHIÆ CIMICUM SVECIÆ.

Prodiit *Monographia Cimicum Sveciæ* Anno 1807 Hafniæ typis impressa, species 160 & ultra continens. Eo autem tempore methodo Fabricianæ nimis addicti, & Genera pauciora & descriptiones, quam par erat, breviores, construximus. Dein vero in ipsa Natura Insecta viva perscrutari, quam mortua in Collectionibus diu adservata & corrugata contemplari satius duximus; quo factum est, ut *Genera* & ad structuram corporis & ad ipsam vivendi rationem construere nobis in potestate fuerit. Sic *Lygæum* Fabr Hemipterorum genus specierum ditissimum, in plura Genera dividi debere, nobis fuit persvasum. Sic quoque reliqua Genera hujus *Ordinis* ulteriori examini subjecimus, eum in finem, ut species eo citius & facilius in serie systematica investigarentur. Etenim, quin investigatio specierum in Systemate Fabricii pluribus obnoxia sit difficultatibus, nemo facile dubitat. Specimen igitur, *novam Hemiptera disponendi methodum* exhibens, a. 1814 edidimus, notasque Generum characteristicas desumsimus a variis corporis partibus, & in his, a dire-

ctione nervorum in membrana hemelytrorum, quæ primo intuitu detegitur, & Genus statim ferme denotat. Structuram quoque similem hujus ceterarumque corporis partium eandem & similem indicare vivendi rationem statuere licet. Faciliorem igitur hanc nostram esse methodum, haud immerito existimamus.

In votis jam fuit, editionem Monographiæ Cimicum Sveciæ novam, & ad methodum nostram adcommodatam, publici juris facere, adjectis observationibus quam plurimis, quæ aut *Genera* aut *Species* respiciunt. Vetat autem prolixitas Operis. Quamobrem novas modo species, ab anno 1807 vel proprio vel alieno studio detectas, describere nostrum jam erit propositum. Hoc igitur, qualecunque sit periculum, speramus fore, ut quidquam ad incrementum *Faunæ Sveciæ* conferat, Rei Entomologicæ peritis non omnino displiceat.

Gen. 1. Tetyra.

1-1 *T. nigrolineata* testaceo-rubra; lineis capitis 2, thoracis 6, scutelli 4 abdominisque punctis numerosis nigris.

Fabr. Syst. Rhyng. 3. 136. 36 (numero linearum diverso), Zett. Act. Holm. 1819 p. 69. *Cimex* Fabr. Ent. Syst. & Linn. Syst. Nat. 716. 6.

Mas & Fem. Ad prædium Berga in Provincia Calmar. mense Julio obvia; D. Zettertedt. — *T. maura* vix minor, at minus convexa, scutelloque paullo angustiori instructa. Antennæ nigræ: articulo secundo rufo. Corpus supra rugulose-punctatum, rufo nigroque alternatim longitudinaliter lineatum; Lineæ rufæ angustiores. In his tres intermediæ sunt contiguæ, caput, thoracem scutellumque transeuntes. Linea thoracis lateralis utrinque insuper adest. Exterior hemelytrorum pars rufa conspicitur. Puncta præterea aliquot in margine abdominis rufa. Corpus subtus rufum punctis numerosis nigris, in serie dispositis. Pedes nigri, ad partem rufo-maculati, spinulis vix nisi brevissimis armati.

Not. Specimina exotica ad Nos missa pedibus fere totis rufis gaudent.

2-3 *T. carbonaria* nigricans punctulata pubescens, scutelli postico macula utrinque oblonga punctoque in medio majori linea fusca diviso, aterrimis.

Tetytra carbonaria Zett. Act. Holm. 1819 p. 70.

Mas. In Lärketorp Ostrogoth. a D. Zetterstedt lectus. — *T. fuliginosa* triplo major, s. *Cydno bi-*

colore vix minor. Corpus griseo-nigricans, supra breviter nigro-villosum. Caput triangulare; rudimento linearum frontalium. Thorax convexus, punctulatus; utrinque ad latera impressus. Scutellum totum abdomen tegens, punctulatum: maculis tribus holosericeis, media obovato-rotunda, lateralibus autem ovato-oblongis apice acutis. Linea præterea cinerea totum transit scutellum, maculamque mediam secat. Hemelytra angustata, brevia, picea: membrana magna lactea. Pedes nigri, nitidi, paullo pilosi; Tibiæ, præsertim anteriores, spinulosæ, at breviter, nec ita evidenter atque in *Tet. scarabeoide*. Tarsi ad basin rufi.

Fem.

Not. Individuum masculum in Collectione D. Zetterstedt adservatur.

3-4 *T. humeralis* "supra nigra: scutelli macula humerali pallida, triangulari; capite subquadrato antice truncato; subtus livida nigro-irrorata, antennis pedibusque concoloribus.

Tetyra humeralis Dalm. Analect. Entomol. 1823. p. 94.

Fem. "In Hallandia a D. D. Osbeck olim capta, in Museo D. de Paykull adservata. Specimen unicum. Longit. 2 ½ lin. Paris. latit. 1 ½ lin. magnitudine *T. fuliginosæ*. — Corpus glabrum non nisi subtilissime pubescens. Caput (oculis exceptis) quadratum, lateribus rectum, antice truncatum, angulis parum rotundatis, nigrum, confertissime punctulatum. Antennæ nigræ: geniculis pallidis; articulo apicali toto nigro, crassiori. Oculi valde prominuli: orbita flava. Thorax quam longus duplo latior, antice posticeque angustatus & truncatus, punctatissimus, foveola laterali impressus, niger, nitidulus, angulis anticis & posticis punctisque quatuor disci anterioris pallide testaceis, obsoletis. Scutellum thoracis

basi manifeste angustius, ante medium paullo dilatatum, apice rotundatum, abdominis margines non obtegens, convexum, confertissime punctulatum punctisque elevatis nitidioribus paucis adspersum, nigrum, utrinque macula humerali pallide testacea, subtriangulari, apice introrsum spectante margineque laterali testaceo punctato. Hemelytra hyalina; costa versus basin testacea, nigro-punctata. Corpus subtus sordide testaceum, punctulatum nigroque irroratum, margine inde a scutello non tecto obscuro, pallide maculatum. Pedes simplices testacei, nigro-irrorati; tibiis obscurioribus, annulo medio pallido.“

Mas.

Not. Prolixiorem & exactam hujus insecti descriptionem dedit Nobil. D. Dalman loc. cit.

Coreus

2-3 *C. hirticornis* pallidus supra rufescens: thorace acute spinoso serratoque, antennis hirtis; femoribns posticis apice spinosis.

Coreus hirticornis Fabr. Antl. 198. 31. Ent. syst. 4. 131. 17.

Fem. In Gottlandia a D. Wetterhall lecta; nobiscum a. D. Centur. Bogeman benevole communicata. — *C. quadrato* paullo minor, at *C. spinipede* major. Antennæ crassiores quam in speciebus nostris affinibus rufescentes, cylindricæ, hirsutie seu spinulis brevissimis sat confertim obtectæ: articulis tribus inferis æquali longitudine, basali tamen crassiori; ultimo conico, fusco, apice nudiusculo. Caput scabrum, antice pro insertione rostri in angulum parum productum, extra antennas angulatum. Thorax pilosus, scaber, lateribus parum exsertis, in

summo margine albis, spinis brevioribus & in lateribus & in margine postico, ad scutellum usque, pluribus albis armatus. Hinc quoque anguli thoracis posteriores acute spinosi evadunt. Hemelytra brevissime pilosa, scabriuscula, in margine antico usque ad elevatiorem abdominis marginem subtiliter serrata: membrana grisescente. Abdomen pone medium dilatatum: marginibus rufis submaculatis, extra elytra elevatis. Corpus subtus flavescens. Pedes scabri, pilosi; femoribus fuscis; posticis crassioribus, subtus juxta apicem albo-spinulosis. Spinulæ inprimis binæ, quarum posterior longior est; pone hanc spinulæ 3 s. 4 sensim breviores. Tibiæ pallidæ.

Mas.

Not. Aperte differt ab omnibus nostris *Coreis*: armatura antennarum, thoracis pedumque. Præterea a *C. spinipede*, ad quem statura corporis propius accedit: antennis crassioribus, articulis mediis æqualibus, ut & spinis pedum pluribus, mox dignoscitur.

PYRRHOCORIS (Nov. Hemipt. method. 1814. p. 9).

1 *P. Calmariensis* rubro nigroque varia: capite, thoracis macula gemina quadrata, scutello, elytrorum punctis duobus membranaque nigris.

Cimex apterus Linn. Syst. Nat. 2. 727. 78. De Geer Ins. 3. 276. 30. *Lygæus apterus* Fabr. Ent. Syst. 4. 161. 90. Syst. Rhyng. 227. 116.

Mas & Fem. Habitat Calmariæ D. à LINNÉ. Specimina alata ibidem legit D. ZETTERSTEDT. In Scania a D. C. SONNB. RÖNBECK quoque inventa. — *Corizo Hyoscyami* vix longior, sed paullo latior. Ab hac specie, & *a Lygæo equestri*, quibus statura

& colore sat similis est, aperte differt: absentia stemmatum, ut & directione nervorum in membrana elytrorum longe diversa. Antennæ nigræ, breviter pilosæ: apice articulorum rufescente. Caput nigrum, basi rostri rubra. Thorax subquadratus, postice latior, submarginatus, impresso punctatus, in medio transversim subsulcatus, ruber: macula magna, subgemina nigra. Scutellum totum nigrum. Elytra rubra, vix impresso-punctata: parte interiori punctisque duobus, quorum posterius majus & rotundum, nigris. Membiana hemelytrorum in Mare magna, in femina brevis, sæpius nulla (in individuis haud rite explicatis) tota nigra, immaculata, crebro reticulatim nervosa. Pectus rubrum: maculis utrinque tribus nigris. Abdomen subtus & supra nigrum: margine segmentoque juxta anum apice rubris. Pedes nigri: femoribus anticis in utroque sexu subcrassioribus, subtus (inprimis in mare) brevissime denticulatis; tibiis quoque subtus spinulosis.

Mas segmento anali aperto, genitalibus scilicet retractis, alis & membrana completis nigris, instruitur. *Femina* segmento anali, in medio rima brevi diviso gaudet, alis completis & membrana rite explicata prædita rarius occurens; in copula tamen cum masculo inventa. Uterque sexus alatus in collectione nostra adest.

Not. Prolixiorem hujus Insecti historiam conscripsit Cl. F. Hausman in Illigers Magazin I: 1. pag. 209.

Lygæus (Nov. Hemipt. method. pag. 9).

3-4 *L. didymus* supra testaceus, thoracis linea antica impressa, puncto elytrorum discoidali didymo punctisque apicis nigris; scutello pedibusque rufescentibus.

Lyg. didymus Zett. Act. Holm. 1819 pag. 71.

Mas & *Fem.* In Ostrogothia; D. Zetterstedt; in Scania una cum *Lygæo claviculo* inter *Carices* pratorum Esperöd habitans, at rarior. — *L. claviculo* valde affinis, eique ita similis, ut primo intuitu eandem diceres speciem. Differt tamen: magnitudine paullo majori, impressione lineari thoracis transversa, ut & punctis hemelytrorum nigris. Antennæ similiter constructæ, ut in *L claviculo:* articulo ultimo clavato, & basali nigris. Oculi exserti. Caput & thorax testacea, confertissime punctulata, brevissime pilosa; thoracis linea antica impressa nigra. Hemelytra testacea: puncto medio gemino, lineaque apicis 3 s. 4-punctata nigris. Membrana alba, inconspicue nervosa. Scutellum & pedes nudi rufescentia. Femora subclavata. Pectus & abdomen Maris nigricantia, feminæ testacea vel albo-variegata.

Obs. Individua exsiccata hoc loco descripsimus.

5-6 *L. pilifrons* obtuse ovatus, griseus, nigro-punctatus: fronte antennisque pilosis; tibiis spinulosis; membrana hemelytrorum fusca, albo-guttata.

Lygæus pilifrons Zett. Act. Holm. 1819 pag. 71.

Mas & *Fem.* In Ottenby Ölandiæ mense Julio; D. Zetterstedt; in Esperöd Scaniæ rarior quoque visa. — *Lyg. Pini* fere brevior, at latior. Supra grisèscens, confertim nigro-punctatus s. nebulosus. Caput triangulare: fronte porrecta, pilosa. Antennæ pallescentes, pilosæ: articulo ultimo nigro. Thorax subquadratus, convexus, marginatus. Hemelytra thoraci & scutello concolora, nebulosa; membrana 5-nervosa, nigricans, crebro albo guttata. Pectus & sternum nigra opaca, macula ad basin pedum albida. Venter obscure-testaceus, irregulariter nigro-maculatus. Pedes pallidi, nigro-punctati. Femora antica incrassata, subtus denticulata. Tibiæ breviter spinulosæ.

Var. β. Mas & *Fem.* duplo minor; subtus ingricans; membrana albidiori, parum nebulosa. Conf. Act. Holm. loc. cit. An Species distincta?

5-6 *L. litoralis* ovatus, supra griseus, nigro-punctatus, antennis subpilosis; tibiis spinulosis; membrana hemelytrorum lactea: macula media baseos nigra.

Lygæus litoralis Zett. Act. Holm. cit. p. 72.

Mas & *Fem.* Ad litus maris in villa Esperöd Scan. mense Junio unicum par copulatum legit D. Zetterstedt. — Facies & magnitudo *Lyg. agrestis*. Antennæ similiter atque in *Lyg. pilifronte* pictæ, at minus pilosæ; frons quoque nuda. Corpus supra pallide grisescens, parce nigro-punctatum; punctis seu maculis lateralibus majoribus, magis distinctis. Thorax lateribus explanatis marginatus, pone medium transversim impressus, scutellum & hemelytra concolora. Membrana alba, juxta basin macula obscura media notata. Pectus, sternum & venter obscura, testaceo-variegata. Pedes testacei: femoribus anticis incrassatis, subtus breviter denticulatis, tibiisque parum spinulosis. Puncta alba ad basin pedum adsunt.

16-17 *L. sabuleti* elongatus ater opacus: elytris luteo-griseis, & membrana alba brunneo-striatis.

Mas & *Fem.* In campis arenariis Hallandiæ prope Urbem Halmstad, a nobil. D. Gyllenhal copiose lectus. In arvis editioribus Scaniæ quoque visus. — *Lygæo erratico* non longior, at angustior. Corpus elongatum opaco-atrum. Antennæ nigræ subpubescentes, longitudine capitis, thoracis scutellique. Caput & thorax & scutellum opaco-atra, subtiliter scabro-punctata. Thorax subquadratus, antice paullo angustior, immarginatus: margine postico non late

lutescente. Elytra brevia, opaco-luteo-grisescentia, striis 3 vel 4, apice conjunctis, fusco-brunneis notata. Membrana albida, paullo infuscata, nervis 4 distinctis brunneis. Abdomen subsericeum, immaculatum. Pedes breves, lutei: femoribus in medio nigris, anticis paullo crassioribus; tibiis subtilissime spinulosis. Alæ albæ, rarius completæ, sæpius nullæ. — Copulatio individuorum utriusque sexus, ante explicationem elytrorum perfectam, membrana adhuc deficiente, frequenter est observata.

17-16 *L. bimaculatus* ovatus niger pilosus: thoracis postico albo bimaculato; hemelytris griseis: maculis costalibus utrinque duabus majoribus, membranáque in disco nigris.

Lygæus bimaculatus Zett. Act. Holm. 1819 p. 73.

Mas & Fem. In arena ad radices plantarum, juxta litus *Esperöds Kås* Scan. sat frequens mense Jul. & Aug. — Inter minores hujus Generis, *Lygæo pedestri* parum major. Antennæ pilosæ nigræ: articulo secundo vel toto vel ex parte ferrugineo. Caput & thorax immarginatus pilosa, nigra, ænescentia, punctulata: thoracis postico transversim impresso, maculis 2 subquadratis notato. Scutellum nigricans. Hemelytra pallide-grisea; subtilissime in serie nigro-punctata: macula media costali gemina, & altera in apice elytri distinctioribus nigris. Membrana albida: nervis & macula magna discoidali nigricantibus. Alæ albæ. Corpus subtus nigrum: punctis ad basin pedum albis. Femora, maxima ex parte, nigra, nitida; antica (in utroque sexu) incrassata, subpilosa. Tibiæ testaceæ, spinulosæ.

GEOCORIS (Nov. Hemipt. method.).

1-2 *G. albipennis* nigra, thorace immaculato; elytris pallidis.

Salda albipennis Fabr. Rhyng. 114. 5.

Mas & Fem. In graminosis Höberg Vestrog. D. GYLLENHAL. — *Geoc. grylloide* duplo minor, ejusdem autem structura. Corpus nigrum nitidum, supra impresso-punctulatum. Thorax quadratus, immarginatus, niger, immaculatus. Scutellum nigrum. Elytra sordide albida seu pallide brunnea: membrana albidiori. Pedes simplices, lutei: femoribus in femina nigris, genubus tibiisque pallescentibus, vix spinulosis. Puncta ad basin pedum albicant.

1-2 *G. atra,* nigra: thoracis linea dorsali alba.

Salda atra Fabr. Rhyng. 114. 4. *Acanthia* Ent. syst. 4. 68. 4. Wolff Cim.

Mas & Fem. Habitat in Finlandia; D. SAHLBERG. — *G. albipenni* valde similis, præter magnitudinem paullo minorem, coloremque paullo diversum. Corpus nigrum, nitidum, supra impresso-punctulatum. Thorax quadratus, immarginatus, niger: linea media dorsali longitudinali albida, glabra. Scutellum & elytra nigra: membrana hyalina, colore non tincta. Pedes nigri, vix nisi nudi: genubus albidis. Alæ non explicatæ, an semper?

SALDA

1-2 *S. riparia* nigra opaca: thoracis lateribus vix rotundatis; elytris albo-guttatis: macula costali ante apicem majori alba; membrana nigro-lineata: puncto interstitiorum nigro.

Mas & Fem. In Vestrogothia; D. GYLLENHAL. — *Salda saltatoria* paullo major, eique valde affinis. Tota nigra, exceptis guttis elytrorum sparsis, macula majori ante membranam in costa, femorum basi tibiisque albis. Membrana similiter picta, ut in *S. saltatoria*: Alæ completæ. Antennæ nigræ, versus apicem subpilosæ. Tibiæ spinulosæ, non pilosæ.

Corpus vix pubescens: elytris opacioribus Differt a *S. saltatoria* & *pallipede* inprimis: thoracis lateribus vix dilatato-rotundatis.

2-3 *S. pallipes* sordide nigra, thoracis lateribus rotundatis; elytris albis: basi maculisque costalibus nigris; membrana nigro-lineata: puncto interstitiorum nigro.

Salda pallipes Fabr. Rhyng. 115. 12. *S. saltatoria* var. β. Mon. Cim. Sv. p. 29. 2.

Mas & *Fem.* In Vestrogothia, & in Scania, ad ripas & litora cum affinibus obvia. — Statura & facies *S. saltatoriæ*, a qua differt colore elytrorum albidiori, nec nisi eorum basis, maculæ costales & nervi nigra sunt. A *S. riparia*: structura thoracis latiori, lateribusque rotundatis aperte discrepat. A *S. pilosa*: corpore nudiusculo tibiisque mere spinulosis (haud pilosis) mox dignoscitur. Pedes albidi, interdum infuscati. Alæ albæ, completæ. — *S. saltatoria* semper major, pro ejus varietate adultiori vix rite haberi debet.

PHYTOCORIS (Nov. Hemipt. method. p. 10).

31-32 *P. prasina* viridis, pubescens, immaculata; antennis pedibusque pallidioribus; elytris dilute viridibus pellucidis.

Mas & *Fem.* In fruticibus Esperöd haud infrequens. — *Phyt. nassato* brevior & mollior; at *Phyt. chorizante* paullo crassior & major, viridis, pubescens (oculo bene armato). Antennæ elongatæ, tenues, tibiæque pallidiores. Elytra dilute & læte viridia, pellucida: nervo membranæ viridiori. Ipsa membrana & alæ æneo nitent.

Not. Plures hujus Generis sunt species virescentes, & in his: *Phyt. pabulina*, *rugicollis*, *nassata*, *angulata*, *chorizans* &c. quæ cum *Ph. prasina* primo intuitu facile canfunduntur. Cave tamen, ne credas, eas non esse nisi varietates unius ejusdemque speciei.

44-45 *Ph. Dalmanni* flavescens, thoracis punctis binis nigris; elytris apice coccineis; femoribus nigro-punctatis.

Mas & Fem. Habitat in plantis agrorum quiescentium Scaniæ, in Karakås Esperöd, mense Augusto, minus frequens. — A nobil. D. J. W. DALMAN nobiscum quoque communicata. Species pulchra, & a *Phyt. semiflavo* distincta; ei tamen affinis, at sæpe angustior ejusque varietate β non major. Corpus supra subpubescens, flavo-virescens. Antennæ pallidæ. Vitta capitis media thoracisque puncta s. vittæ discoidales & punctum anguli postici, nigra. Scutellum vel flavum, vel nigrum: vitta media late flava. Elytrorum vittæ pone medium binæ, fuscæ, obsoletæ; macula ante membranam læte coccinea, distincta. Membrana nigricans: nervo pallido. Abdomen dorso nigrum, margine flavum: ventre flavo. Pedes vel flavi vel subrufescentes. Femora nigro-punctata, ad apicem rufa.

Not. Individua, inprimis feminea occurrunt: capite, thorace scutelloque totis flavicantibus; in his varietas γ *L. semiflavi* Mon. Cim. 81. 41. Color autem scutelli elytrorumque speciem mox indicat diversam.

45-46 *Ph. scutellaris* nigra nitida: scutello tibiarumque apice coccineis.

ZETT. Act. Holm. 1819. p. 74. 25. *Capsus scutellaris* Fabr. Rhyng. 245. 22. Ent. syst. 4. 180. 163.

Mas. In Lärketorp Ostrogothiæ; D. ZETTERSTEDT. Magnitudo *Ph. pratensis.* Corpus nigrum nitidum, supra impresso-punctulatum, nudum: Antennæ subpubescentes, nigræ: articulo secundo versus apicem parum incrassato. Membrana nigricans. Pedes nigri: tibiis subspinulosis, apice rufis. — In Collectione D. ZETTERSTEDT adest.

Fem.

46-47 *Ph. lateralis* niger, elytris aureo-pilosis: lateribus antice pallidis, puncto ante membranam rufo.

Mas & *Fem.* In fruticibus Scan. mense Aug. minus frequens. — Inter majores, Phyt. ferrugato robustior. Corpus nigrum, nitidum. Antennæ extus pallidiores. Thoracis summus margo posticus & lineola interdum dorsalis pallida. Elytra fulvo-pubescentia, margine exteriori antice pallida. Punctum ante membranam rufum nigro-terminatum. Membrana nigricans: nervo fusciori. Femora nigra immaculata. Tibiæ pallidæ, distincte spinulosæ.

Var. β. Mas & *Fem.* elytris subfulvis: apice rubriori.

Var. γ. Mas & *Fem.* femoribus rufo-luteis.

Not. Lyg. fulvo-maculatus var. γ Monogr. Cim. 82. 46. *fem.* huc pertinet. Ab hac specie differt nostra *Ph. lateralis:* colore thoracis femorumque.

58-59 *Ph. puncticollis* nigricans, supra griseo-rufescens; thorace impresso nigro-punctato; scutello pedibusque nigris; antennis basi & apice lineolisque duabus elytrorum nigris: membrana albo-hyalina.

Mas & *Fem.* Habitat in Scania; D. Zetterstedt; in Smolandia; D. Bogeman; rarior. *Phyl. pastinacæ* paullo brevior, & ei affinis. Antennæ nigræ: articulis intermediis basi rufescentibus. Caput rufum: orbita oculorum & collo nigris s. griseis. Thorax distincte impresso-punctatus: punctis crebrioribus nigris; grisescens, in mare antice rufescens: collari nigro; in femina antice subalbicans: cicatricibus duabus nigris. Scutellum rufum, àntice punctatum, nigrum. Abdomen dorso nigrum. Elytra pallide grisea, seu subrufa, pellucida, nitida, glabra; in parte interiori lineis 2 strigaque in medio partis ex-

terioris longitudinali e punctis impressis notata. Lineolæ duæ approximatæ in disco elytri & puncta duo remota in apice, nigra, minuta. Membrana immaculata. Corpus subtus nigricans: pectore impresso-punctato, albicante s. rufo-maculato, laminis sterni transversis albissimis; ventre subsericeo: segmentis apice anoque rufis; spiraculis nigris. Pedes rufo-lutescentes, nudi, articulo tarsorum ultimo nigro.

Not. Forsitan *Lygæus Resedæ* Wollf & Panzer cum hac nostra *Phyt. puncticolli* eandem constituit speciem?

63-64 *Ph betuleti* supra fulvo-pilosa: corpore antennis pedibusque nigris, elytris nigro-rubiginosis: lunulis ante apicem binis albis

Mas & Fem. In fruticibus Betulæ albæ, in pratis Gyllebo Scaniæ mense Julio. — *Ph. variabili* & *ambiguæ* affinis; at differt: corporis antennarumque colore toto nigro. Femora autem viventium, genua & tibiæ vix nigro-punctata, in exsiccatis pro certo luminis situ interdum rufescunt Pilositas, qua corpus obducitur, contactu levissimo deteritur. Elytra nigricantia (e corpore elevata, rubiginosa): lunula in ipsa flexura ante membranam, & altera, in basi membranæ nigricantis, alba.

Not. Cave, ne hanc speciem cum *Ph. variabili*, *mutabili* & *ambigua* confundas.

65-66 *Ph querceti* flavo-virescens, supra aureo-pilosa, roseo-irrorata; femorum apice nigro-punctato.

Mas & Fem. Habitat una cum affinibus, in fruticibus, præsertim in Quercetis Esperöd mense Julio. Magnitudo *Ph. roseæ* & *sanguineæ;* eis quoque haud dissimilis. Corpus molle, viventis viride: ano pallido, in exsiccatis sæpe coccineo. Antennæ & pedes pallida: femoribus ante apicem nigro-punctatis

& interdum rufo-tinctis. Corpus supra pallidum, aureo-pilosum & roseo-irroratum. Tinctura autem rosea in parte anteriori sæpius evanescit, unde thorax & scutellum flava immaculata evadunt. Elytra maculis pluribus roseis tincta. Accidit tamen, ut non nisi macula una alterave pone medium sit superstes, & obsoletissima. Membrana infuscata. Tibiæ spinulosæ, nigro-subpunctatæ.

TINGIS *(Thorace carinato)*.

7-8 *T. verna* supra nigricans, abdomine pedibusque obscure ferrugineis; elytrorum stria media altiori.

Mas & Fem. Ad sepes lapideas Esperöd, mense Martio 1826, a C. F. KJELLBERG lecta. — *Ting. pusilla* fere minor. Antennæ vix nisi nudæ, rufescentes, articulo ultimo crassiori, nigro. Caput & thorax subtricarinatus, nigra. Pectus nigrum, pro luminis situ albo-micans. Abdomen ferrugineum, interdum infuscatum. Elytra reticulatim nigro-nervosa: stria elevata seu carina media elytri striis marginalibus altiori. Pedes ferruginei. Alæ nullæ.

Not. Aperte differt a *T. parvula:* elytris magis convexis, nec ita depressis; ut & colore superno obscuriore. A *T. pusilla:* colore superno, & stria modo media quam marginalibus magis elevata. Ab utrisque: thorace elytrisque angustioribus; thoracis lateribus scilicet non ita marginatis nec ita rotundatis. — An species perfectiori explicationi obnoxia?

